This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

C. D. 10.:

DE NIGELLO VVIREKERO,

Indultu

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

SUB PRÆSIDIO

VIRI EXCELLENTISSIMI

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqvent. Prof. Publ. Amplis. Philosoph. Ordinis SUB-SENIOR. Min. Principp. Collegii Collegiati &c.

Domini Præceptoris, Affinis, atqve Patroni filiali reverentiâ devenerandi,

publicè disputabit

Ad diem 18 Jun. Anni M. DC. LXXIX.

H. L. Q. C.

IMMANUEL Weber/

Hoënheyda - Lipsiensis,

Philos. Baccal.

LIPSIÆ,

Ex Officina SPÖRELIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Juvante Triuno!

§. 1.

ANno ſuperiore PETRUM DRESDENSEM ſumſi diſputationis argumentum. Placet nunc de NIGELLO WIREKERO diſſerere, ſcriptore ſimili. Solet enim uterqve teſtibus accenſeri veritatis, qvi ſcilicet ante repurgatam miniſterio B. Lutheri religionem Evangelicam viventes reclamaverunt Papæ, cujus neqvitiâ miſeris modis per ingentia temporum ſpacia chriſtianum orbem conſtat afflictum fuiſſe.

§. 2. Fuit ergò Nigello cum Petro Dreſdenſi commune hoc, qvòd uterq; Pontificiæ tyrannidi reluctatus eſt. Viciſſim ambos diſtingvunt qvædam. Patriam enim habuit Germaniam noſtram Petrus, Angliam Nigellus; illum duo ſecula cum dimidio, hunc integra qvinq; priorem faciunt nobis; ille vivâ voce magis, hic ſcriptis perverſitatem ævi ſui caſtigavit.

§. 3. Longè tamen rarior Nigelli & ſtrictior apud Scriptores notitia eſt. Enimverò ſcriptor hic Anglus adeò delituit hactenus, ut multi eruditorum, qvi Brunellum ejus, ſeu ſpeculum ſtultorum, (titulus hic eſt Poëmatis ab eo exarati,) legerent, nomen Autoris ignorarent.

§. 4. FLACIO certè ILLYRICO, Teſtium Veritatis Catalogum ſcribenti, cùm è Brunello teſtimonia qvædam in hanc rem colligeret, ignotum Nigelli nomen fuit, qvin & ignotum tàm diu manſit, donec inchoatas Magdeburgi cum aliis Theologis Centurias Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ continuaret paulatim, eq; Joanne Baleo Nigellum Wirekerum reſciſceret a).

a) Flacii Catalogus Teſtium Veritatis primùm prodiit Baſileæ A. 1556. atq; in his ibi p. 932. (Pp. 2:) memoratur *incertus Autor* Brunelli ſeu Speculi ſtultorum. Proximo pòſt Anno 1557. in eadem urbe Ba-

Digitized by Google

ſileenſi vulgatus typis eſt Jo. Balei Catalogus ſcriptorum Majoris Brytanniæ. Qvanqvam autem hîc f. 245. ſcriptor Brunelli apertè nominatur *Nigellus Wireker*: tamen emendatior & auctior illa Catalogi Flaciani editio Argentinenſis anni 1562. autorem hunc f. 539. relinqvit *incertum*, ac de *Nigello* ne hiſcit qvidem. Qvod Flacio Viro alioqvi ſatis induſtrio eam ob cauſam eveniſſe veroſimile eſt, qvòd occupatus tùm temporis cum Sociis in Eccleſiaſticâ concinnandâ hiſtoriâ, (cujus primam Centuriam Annus 1559. publicæ luci expoſuit,) in locum Balei, (qvi & ipſe temporum ſeriem obſervat) tùm demùm inciderit, cùm ſub Centuriâ Eccleſiaſticæ illius Hiſtoriæ XII. (prodiit ea Baſileæ An. 1569.) memorandus veniret *Nigellus Wireker*, cujus & notitiam è Balæo profert.

§. 5. Neqve nos diffitemur, præcipuam hiſtoriæ de Nigello partem debere nos Anglis duobus Scriptoribus, *Baleo b)* & *Pitſeo c)*, qvibus & notiſſimus eſſe civis hic ſuus, Brunelli autor, potuit. Uterqve & ad *Lelandum d)* provocat: ſed hic in manûs noſtras, licet paſſim qvæſitus, non incidit; uti nec Joanni Jacobo Hofmanno *e)* citatus *Arnoldus Wion*, qvem conſtat de Benedictinis Monachis, [fuit autem hujus Ordinis & Nigellus,] ſanctitate ac doctrinâ illuſtribus ſcripſiſſe, titulo ligni vitæ, libros qvinqve *f)*.

b) de qvo lit. præced. *c)* Joannis Pitſei, Angli, Relationum Hiſtoricarum de rebus Anglicis Tomus primus (opus poſthumum) prodiit Pariſiis A. 1619. cujus pars ſecunda continet Catalogum ſcriptorum Britannorum, maximè Anglorum. Atq; hîc de Nigello Wirekero agitur p. 270. *d)* Inter opera hujus memorantur de Illuſtribus Britanniæ ſcriptoribus libri qvatuor. Diſtingvendus autem Joannes hic Lelandus Junior, qvi A. 1552. obiit, à Jo. Lelando ſeniore, cui emortualis fuit annus 1428. vid. Baleum fol. 562. 671. Pitſeum p. 612. 742. *e)* Lexic. Univerſal. Tom. II. f. 23. ſub Nigello: qvanqvam ibi perperam pro *Arnoldo* ſcribitur *Arnolphus*. *f)* vid. Miræ. Part. II. Biblioth. Eccleſ. f. 144. Valer. Andr. Deſſel. Bibl. Belg. p. 88. 89. qvibus *Wion* hic *Wionus* vocatur.

§. 6. Qvi prætereà inſpecti à nobis Nigellum habent in calamo, hi omnes aut Baleo Flaciové ſua debent, aut nihil aliud

Digitized by Google

aliud fuggerunt, qvàm notitiam Brunelli manuſcripti, vel typis vulgati, aut unum alterumve modò verſum ex eo citant: ut hoc loco memorandis iis, qvod alibi commodiùs fiet, immorari non ſit neceſſe.

§. 7. Juvabit potiùs Hiſtoriæ, qvam de Nigello, ſciſſam in minutas particulas, exeqvi ad finem usqve diſſertationis inchoatæ meditamur, compendium qvoddam è Baleo, Pitſeo, Flacio qvaſi contractum hîc proponere.

§. 8. *Claruit ergò circà annum à nativitate Chriſti* 1200. *g) Nigellus h) Wirekerus i), natione Anglus k), ordinis Benedictini monachus l) Cantuarienſis Eccleſiæ præcentor m), vir pietate, doctrinâ, vitæ honeſtate ac ſanctimoniâ ita clarus, ut non ſolùm Monaſterii ſui, ſed & patriæ decus haberi meruerit n). Scripſit autem tùm alia opuſcula o), qvibus hypocritarum ſui ævi ſimulatos mores & ſanctimoniam fucatam vehementer increpat, tùm verſu non contemnendo p) jam ante citatum à nobis Brunellum ſeu ſpeculum ſtultorum q). Facetus r) hic eſt & lepidus de aſino, qvem Brunellum s) vocat, apologus t), qvo cleri, qvalis inter Pontificios tùm fuit, abuſûs ac ſceleratam vitam accuſat u), ſingulos Monachorum ordines perſtringit w), Paſtoribus neglectionem verbi divini & curæ ſalutis animarum objicit x), ne Papæ qvidem ipſi parcens. y) Damnat inſuper prohibitionem eſûs carnium z), & conjugium Sacerdotum defendit a): ut omninò eum ab Anti-chriſti ejus q, ſpiritualium hypocriſi & impietate plurium diſſenſiſſe appareat b).*

g) Placet hic lectorem mittere ad paragraphos ſeqventes, in qvibus ſingula compendii hujus uberiùs exponuntur. De ſeculo ergò, qvo Nigellus claruit, inſpiciatur §. 38. *h)* §. 11. *i)* §. 34. *k)* §. 36. *l)* §. 37. *m)* ibid. *n)* §. 48. *o)* §. 49. *p)* §. 81. *q)* §. 57. 84. *r)* §. 84. *s)* §. 85. *t)* §. 86. *u)* §. 88. *w)* ibid. lit. f. *x)* §. 94. *y)* §. 95. *z)* §. 98. *a)* ibid. *b)* ibid.

§. 9. Hæc ita illorum, qvæ de Nigello innotuêre nobis, ſumma eſt, ſed præcipua. Neqve enim omnia compendio huic neceſſe fuit inſerere. Qvæ deſunt, è dicendis expectanda venient. Jam enim & ſingula eorum, qvæ retulimus bre-

Digitized by Google

viter. uberiùs demonſtrabimus, &, qvæ nondum memorata, cæteris adjungemus: ſed ordine, qvi commodiſſimus fuerit viſus.

§. 10. Primum hoc in ordine ſit nomen Viri, cujus hiſtoriam teximus, idqꝫ duplex. Prænomen enim illi fuit *Nigelli*, cognomen *Wirekeri*. Sed prænomen plus faceſſet nobis negotii.

§. 11. *Nigelli* vocabulum proditur in primo ſtatim Brunelli diſticho, qvod præfationem ad Gvillermum, ſeu Gvilhelmum *c*) qvendam inchoat:

Suſcipe pauca tibi veteris Gvillerme Nigelli
Scripta minùs ſapido nuper arata ſtylo.

c) variant enim hîc lectiones. Francofurtenſis editio *Gvillermum* habet, Wolferbytana *Gvilhelmum*. Sed nihil hoc refert.

§. 12. Qvid ergò eſt, inqvies, qvòd *Nigelli* nomen non modò Flacium latuit, de qvo ſuprà *d*), ſed ne qvidem comparet in duabus Brunelli editionibus hoc ſeculo vulgatis? qvarum altera Francofurti prodiit An. 1602. adjuncta Praxi jocandi neſcio cujus, altera Wolferbyti A. 1662. comites nacta tres Pſeud-ovidii de Vetulâ libros. Qvid eſt, qvòd Francofurtenſis illa nomen Scriptoris planè nullum exhibet *e*), Wolferbytana verò pro *Nigello* ſubſtituit *Vigellum f*)? Audi.

d) §. 4. *e*) Nam in titulo Praxeos jocandi nihil aliud, qvòd qvidem Brunellum attineat, leges, qvàm hæc: *Ad aſinum, altioribus ac Doctoratui propemodùm inhiantem, digreſſio lepidiſſima. Nunc primùm ex manuſcripto REGII cujusdam GORADDIVI Italogermani in lucem edita.* Poëmatis autem ipſius p. 352. hæc inſcriptio eſt: *De Aſino, aſininos mores atq; ingenium contrà naturam exuere conante, Aſinina, lepidiſſima tamen, nec minùs pungens narratio.* *f*) Hæc enim ibi & in titulo, & in operis principio leges: *VIGELLI, qvi fertur, ſpeculum ſtultorum.*

§. 13. Duas nacti ſumus Poëmatis hujus editiones veteres, ante duo, ut apparet, ſecula typis æneis, ſed charactere monaſtico, deſcriptas: alteram [ut loqvi ſolemus] in qvarto impreſ-

Digitized by Google

impressam, alteram, qvam Paulina nobis Academiæ nostræ Bibliotheca comodavit, in folio. Illi ex recentioribus Francofurtana perqvam similis, huic Wolferbytana similior etiam esse, omnes invicem conferentibus nobis deprehensa est *g*). Primi autem versûs ultima verba hunc in modum repræsentat prior: *veteris gvillerme nigelli*; posterior: *veteris vuilhelme vigelli*. Atq; ita posterior hæc Wolferbytanæ mutationis originem clare aperit.

g) Fidem his inprimis facient qvæ §. 63. 65. seqq. differemus.

§. 14. Sed unde illud silentium Francofurtanæ? Nimirum in priore *gvillermi* pariter & *nigelli* nomen ita comparet, ut prima utriusqve litera, perinde ut cæteræ omnes, minuscula sit, non majuscula, à qvalibus inchoare solemus hodiè nomina propria, ut à minusculis appellativa. Nam discrimen hoc propriorum nominum & appellativorum non solebant olim custodire veteres neq; librarii neq; typothetæ. Factum hinc esse dixeris, ut Francofurtensis editor *nigelli* nomen haberet pro appellativo, qvale & passim est: præsertim cùm nec in Onomasticis propriorum nominum ulla sit Nigelli mentio *b*), & in Germaniæ nostræ regionibus nomen hoc interpropria penitus inauditum habeatur. Vicissim *Gvillermo*, vel qvod perinde *Gvilhelmo* aut *Vilhelmo*, in propriis locum esse nemo nescit, ac vix opinor, vicus urbis est, in qvo non Wilhelmum aliqvem reperias.

b) Ne in Martyrologiis qvidem Ulsardi aut Baronii *Nigellum* reperies, *Gulielmum* autem non unum. Sic & Wolfg. Krügeri Onomasticon p. 120: *Wilhelmum* exhibet, nuspiam *Nigellum*.

§. 15. Confirmat suspicionem, qvòd idem Francofurtensis editor ut *Gvillermo* majusculam dedit literam, ita *nigello* minusculam reliqvit. Sic enim ille primum versum finit *i*): *veteris Gvillerme nigelli*. Atqve ita simul rationem intelligis, cur Poëtæ huic proprium nomen nullum assignaverit, qvia, qvod proprium illi fuit, habuit pro appellativo. Verosimile autem

Digitized by Google

autem, codicem, qvem secutus ipse est, nusquam alibi, præterqvam in primo versu, [qvod & monasticus noster facit,] scriptoris nomen expressisse.

i) p. 352.

§. 16. Nobis verò proprium huic Poëtæ prænomen fuisse per Balei, Pitsei, aliorumqve testimonia dubitare non licet. Neq; hoc ignoravit Barthius, qvi in Gulielmi Britonis libros Philippidos commentans *Nigelli* Brunellum bis citat, ut ostendat nempe, hujus notæ Poëtis jam *cëstrum* esse vocem trisyllabam *k*), jam penultimam *mulieru* produci solere *l*).

k) Barth. animadv. in Gul. Brit. p. 8. 9. Versum Nigelli hanc in rem qvære p. 386. ed. Francof. *l*) Barth. d. l. p. 80. Nigelli Versus extat p. 484. ed. Francof. Reprehendit hunc productæ penultimæ errorem, in Nigello aliisqve plurimis, & amicissimus nobis Daumius, notis in Columbanum (Catonis distichis adjectum) p. 223. seq.

§. 17. Qvanqvam autem Nigellus auribus nostris insvetum nomen est; qvanqvam etiam Baleus & Pitseus in Catalogis suis Nigellum non nisi unicum hunc in tantâ eruditorum Britanniæ copiâ sistunt nobis: tamen non planè nullos reperire licet alios in Britannis Nigellos. *Nigellum Episcopum Elyensem*, qvem Stephanus rex *m*) qvinto anno regni sui de Episcopatu fugaverit, memorat Henricus Huntindoniensis *n*); *Nigellum de Saccavillâ* Ecclesiæ de Berges incubatorem Baronius *o*) ex epistola qvadam Thomæ Cantuariensis ad Alexandrum Papam.

m) regnare hic cœpit A. 1136. teste Gvaltero Tom. I. Chron. Polit. p. 340. *n*) lib. VIII. Histor. f. 390. (inter Scriptores rer. Anglic. ed. Francof. A. 1601.) *o*) Tom. XII. Annal. f. 648. sub A. 1170. n. 42.

§. 18. Sed qvid Genevensi Theologo faciemus Simoni Goulartio *p*), Flaciani Catalogi Testium Veritatis interpolatori *q*)? qvi qvanqvam & ipse didicerat, Nigelli nomen proferri à Baleo *r*): tamen perinde esse putavit, sive *Nigellum* hunc Scriptorem appellaret, sive *Brunellum s*); imò *Brunelli* nomen

Digitized by Google

nomen ipſi magis adjudicavit, qvàm *Nigelli* r)': nunqvam id opinor facturus, ſi legiſſet ſpeculum ipſum ſtultorum, in qvo autor iſte nomen *Brunelli* non ſibi, ſed aſino imponit s); à qvo & hoc idem nomen, tanqvam ab illius fabulæ perſonâ præcipuâ, tranſiit in totum librum, ut is ſcilicet jam Speculum ſtultorum, jam Brunellus paſſim appelletur.

p) Cujus qvidem nomen titulus pariter operis & præfatio non niſi primis literis repræſentat S. G. S. qvæ interpretandæ ſunt: *Simon Goulartius Sylvanectenſis.* q) Qvid præſtare in Catalogo Teſtium Veritatis Flaciano voluerit Goulartius, ipſe in Dedicatoriâ ad Othonem Grynradium his verbis profitetur: *Mihi paulò attentius rem totam conſideranti multa partim addenda, partim alio loco & ordine digerenda occurrerant, adeò ut totum opus retexere, & novâ qvadam formâ, ingentiq; variarum tractationum congerie illuſtrare ſim coactus.* r) Sic enim Flacium interpolat lib. XIX. Catal. Teſt. Ver. f. 1871. edit. A. 1608. *Extat impreſſus liber verſu non usqveqvaq; contemnendo ſcriptus, incerto autore,* [hactenus verba Flacii,] *qvem Baleus Centur. 3. Anglum fuiſſe ſcribit, & Nigellum vocat.* [hæc Flaciano textui de ſuo addidit Goulartius.] *Titulo Brunellus, ſeu Speculum ſtultorum.* [hæc iterum ſunt Flacii cum aliis qvibusdam per lineas novem porrò ſeqventibus.] Ubi qvidem illud omninò diſplicet, qvod ſua à Flacianis nullo ſigno diſtingvit Goulartius. Qvis ita legens, qvæ ſtatim hîc ſeqvuntur: *Vidi ejus exemplar manuſcriptum*, divinare poteſt, num hæc verba Flacii ſint, an Goulartii? s) Sic enim ipſe Goulartius paulò pòſt, non Flacii ſed ſuis verbis: *de qvibus* [monialibus Gilberti] *Nigellus ſeu Brunellus hæc ſcribit: Harum ſunt qvadam ſteriles &c.* t) Nam in Indice Rerum Operis illius hæc leges ſub lit. B. *Brunellus qvis autor.* De Nigello autem ſub lit. N. altum ſilentium. Jam & in ipſo textu f. 1871. totius narrationis hujus inſcriptionem facit: *BRUNELLUS*, cùm tamen Flaciana inſcriptio ſit: *Speculum ſtultorum.* Putavit nempe, ut *Speculum ſtultorum* libri titulus eſt, ſic *BRUNELLUM* eſſe nomen Scriptoris. Qvam ob cauſam & majuſculo charactere id impreſſum, [ut aliorum paſſim apud eum Autorum nomina,] non minuſculo, [ut librorum, qvale qvid f. præcedente 1870. eſt *Theologia Germanica.*] u) vide qvæ §. 85. afferemus.

Digitized by Google

§. 19. Mirabitur aliqvis fortaſsè, qvod diximus non ſectum fuiſſe Goulartio Speculum ſtultorum. Qværet enim: ſi non habuit in manibus hunc libellum, unde ergò hauſit ea, qvæ inde Flacio intacta *w*) citat? Qvale illud de Monialibus Gilberti de Sempringham *x*): *Harum ſunt qvædam ſteriles, qvædam parientes, Virgineáq; tamen nomine cuncta tegunt y*). &c. illud item de Monachis: *Qvi duce Bernardo gradiuntur vel Benedicto, Aut Auguſtini ſub leviore jugo: Omnes ſunt fures, qvocunq; charactere ſancto Signati veniant, magnificentáq; Deum z*). Qværam & ego viciſſim: Unde hauſit Goulartius, qvod his duobus locis interjicit: *De Monaſterio Sempringham a*) *dicit* [Nigellus ſeu Brunellus:]

— — — non bonam famam vagari,
Solas enim ſorores cum fratribus verſari,
Et qvasdam licet pariant, virgines vocari.

Faciem qvidem verſuum præ ſe ferunt hæc apud Goulartium, ſed eos certiſſimum habeo nuſpiam reperiri in Speculo Nigelli, qvippe qvod meris conſtat elegis, qvales hi certè non ſunt: cujus autem ſint metri *b*), viderit ipſe Catalogi Flaciani reformator, nimis craſſam hîc inſcitiam prodens, dum duos cum dimidio versûs Nigello tribuit, qvi profectò ipſius non ſunt.

w) Sunt enim, qvæ citat è Speculo noſtri Goulartius, duorum generum. Alia inde & Flacius repetit, qvæ dabimus infra §. 92. ſeq. atq; ex his nemo affirmabit probari liqvidò poſſe, qvòd Goulartio inſpectum ſit ipſum Nigelli poëma. Alia viciſſim intacta ſunt Flacio, & hæc perſvadere alicui poſſint, habuiſſe Goulartium oculos in ipſo qvoqve Autoris ſpeculo. *x*) Gilbertum hunc vocat *Abbatem* (neſcio unde) Goulartius; Gilbertum de *Sempringham* Baleus f. 224. & Pitſeus p. 252. Habuit autem Gilbertus hic in Monaſteriis à ſe fundatis alibi monachos, alibi moniales, ut mox intelliges è lit. i. ad §. 22. Plura de hoc Gilberto dabimus infrà lit. b. ad §. 40. *y*) Habes hæc in Speculo Nigelli p. 455. ed. Francof. *z*) Qvære p. 471. ed. Francof. *a*) qvod Gilbertus modò memoratus conſtruxit. *b*) alludunt qvodammodò,

Digitized by Google

dammodò, non tamen exactè satis, ad rhythmos barbari ævi, vel etiam ad versûs, qvos politicos appellare solemus.

§. 20. Atqvi, excipiet Advocatus Goulartii, sensum eorum invenio partim in his Nigelli *c*): *Qvid de Sempringham d*): *qvantum vel qvalia sumam, Nescio, nam nova res e*) *me dubitare facit. Hoc tamen ad præsens nullâ ratione remittam, Namqve necesse nimis fratribus esse reor: Qvod nunqvam nisi clam, nullâq; sciente sororum, Cum qvocunqve suo fratre manere licet:* partim in disticho de monialibus Gilberti paulò antè *f*) prolato. Verùm ne sic qvidem elabetur Genevensis Theologus: neqve enim de sensu tantùm, sed & de verbis, ac genere carminis mota ipsi controversia est. Age verò & hoc mittam. Si, qvæ de parientibus virginibus è Nigello bis affert Goulartius, jam distichon ejus ἀυτολεξεὶ repetens, jam sensum aliis verbis enuncians, eadem sunt: cur ergò distingvit illa, tanqvam diversis prolata locis?

c) p. 457. ed. Francof. [p. 85. ad Wolferb.] *d*) ita legendum, [nec aliter exhibet Baleus f. 227. sub Gilberto de Sempringham,] pro *Simplegeanis*, qvod Francofurtensis, & *Simpligamâ*, qvod Wolferbytana exhibet. Corrige & Jo. Wolfium, hæc eadem disticha Tom. I. memorab. f. 361. citantem, ubi leges: *Sempbringhâ*. Qvæ lectio sic [vix enim dubitem, qvin è Wolfio hausta] transiit qvoqve in Gotardi Arthusii Tom. I. lib. III. de rebus Antichristi p. 177. *e*) Fuit enim eo tempore, qvo scripsit hæc Nigellus, *ordo* hic Sempringhamensium *novus*, qvod infrà planum fiet §. 40. 41. *f*) §. proximè præced. lit. x.

§. 21. Qvid? Illo disticho de puerperis, virgineo se nomine tegentibus, si poëma ipsum nostri contuemur, non speciatim Gilbertinas illas monasterii Sempringham, sed in genere qvaslibet moniales pungit Nigellus. Cùm enim sigillatim varios Monachorum ordines perstrinxisset, ad moniales progreditur *g*), inter alia prostitutam iis pudicitiam disticho illo exprobrans; atqve tùm demùm sub titulo peculiari,

Digitized by Google

cuſiari, *de ordine novo in Angliâ conſtituto*, [hic ille videlicet eſt à Gilberto de Sempringham inchoatus,] diſſerere incipit. Vel hoc igitur indicio ſit, non è fonte Nigelli puro, ſed ex aliqvo turbido rivo iſta Goulartium hauſiſſe.

g) titulo: *de Monialibus*, p 83. ed. Wolferbyt. [p. 454. ed. Francof.]

§. 22. Ac ſuſpicabar initiò, deprompſiſſe Goulartium verſûs Nigelli, qvos à Flacio jam allegatis adjecit, è Baleo, cujo aliàs, cùm de nomine autoris ſolicitus eſſet, mentionẽ fecerat *h*). Sanè verò Baleus qvoq; illud de parientibus monialibus minùs benè ad Nigelli de Gilbertinis carmina refert *i*), qvem hâc in re & Hoſpinianus *k*) ac Wolfius *l*) ſeqvuntur: neqve deſunt Baleo diſticha *m*) de monachis: *Qui duce Bernardo* &c. Veruntamen cum curatiùs omnia circumſpicerem, adeò evanuit hæc ſuſpicio, ut affirmare potiùs auſim, ſcribenti hæc Genevenſi Theologo non magis Baleum præ oculis fuiſſe, qvàm poëma Nigelli.

h) Qvære ſuprà lit. r. ad §. 18. *i*) f. 225. ubi hæc ejus verba: *Gilbertus ante mortem DCC. Fratres in cœnobiis ſuis habebat, & M. ac C. Sorores*: [hæc paucis qvibusdam mutatis & apud Goulartium leges.] — *Sed & hæc Nigelli, ejus temporis Poëtæ, de Gilbertinis carmina non eſſe prætereunda cenſeo: Canonici Miſſam tantùm, reliqvumq; ſorores Explent officii debita jura ſui. Corpora, non voces, murus disjungit: in unum Pſallunt, dire-Eò pſalmatis absq; mero.* Et ſeqvitur: [imò verò non ſeqvitur, ſed præcedit ſub titulo, de Monialibus. Habuit ergò & Baleus hic oculos non ſatis attentos.] *Harum ſunt qvædam ſteriles, qvædam parientes* &c. *k*) lib. V. de Monachis c. 13. f. 162. edit. Tigur. A. 1609. *l*) Tom. I. memorab. f. 360. *m*) illa ſcil. Goulartio qvoqve [ſuprà §. 19.] citata. Refert autem ea Baleus ſub Mauritio Somerſeto f. 230.

§. 23. Enimverò non ſemel à Baleo diſcrepat Goulartius, & ſic alicubi diſcrepat, ut erret manifeſtè, reducendus in viam, ſi Baleum inſpexiſſet. Baleus Brunelli titulum, qvod par erat, imponit libro Nigelli *n*); Goulartius Nigello ipſi. Baleus Nigello cognomen ſuum addit, nempe Wirekeri;

Digitized by Google

rekeri; Goulartius nullum. Baleus è Nigello nuſpiam verſûs niſi elegiacos citat; Goulartius his immiſcet alios neſcio cujus metri *o*). Baleo claruit Nigellus anno 1200. hoc eſt, finiente ſeculo duodecimo; Goulartius eum, qvod infrà *p*) docebimus, ſeculi decimi qvinti ſcriptorem facit.

n) non modò f. 245. ubi ex profeſſo agit de Nigello, ſed & alibi ſubinde: ut f. 227. ſub Gilberto de Sempringham: *Nigellus — in ſuo Brunello, vel ſtultorum ſpeculo.* Pariter f. 230. ſub Mauritio Somerſeto: *Nigellus Poëta Brytannus, in libro, qvi Brunellus, vel Speculum ſtultorum inſcribitur, ſui temporis monachos his carminibus graphicè depingit: Qvi duce Bernardo &c.* Nihil his verbis clarius, ut fateri neceſſe ſit, ſi hos eosdem Nigelli verſus recitans Goulartius à Baleo eos fuiſſet mutuatus, errorem de Brunello ſuum palpare ipſum potuiſſe. *o*) deſcripſimus eos ſuprà §. 19. *p*) §. 42.

§. 24. Hæc eò me tandem duxerunt, ut exiſtimarem, ſua iſta corraſiſſe Goulartium è duobus aliis ſcriptoribus neſcio qvibus, [nam nec ipſe talem ullum memorat, & qvi fuerint, adhuc inveſtigo,] qvi de Nigello agentes pro lubitu jam verba Balei deſcripſerint integra, jam truncaverint, aut mutaverint: qvorum alter & verſûs Nigelli, qvos Baleus ſuppeditavit, retinendos putaverit ſibi, alter illa diſticha de Gilbertinis, ſeu, qvod perinde, Sempringhamenſibus contraxerit in lineas breviores orationis proſæ: qvas tamen Goulartius ritu verſuum poſteà diſtinxit.

§. 25. Atqve ſic forſan & primum illius ſomnii, qvod Goulartio *Brunellum* tanqvam autorem Poëmatis repræſentavit, principium divinare licebit. Videtur enim qvispiam repetens è Baleo *q*) hæc ambigua: *Edidit* [Nigellus] — *ſub titulo Brunelli, ſpeculum ſtultorum* *r*), Goulartio errandi occaſionem dediſſe, de autore *titulum* hunc interpretanti, qvem de libro debuerat. Qvi error illi confirmari ex eo potuit, qvòd & inter ipſos Scriptores memorantur *Brunelli* qvidam *s*), & latino-

Digitized by Google

latino *Nigelli* vocabulo, qvod ad sensum attinet, respondet qvadantenus semigermanicum *Brunelli* r).

q) Bale. f. 245. r) Non minùs ambigua locutio Pitsei de Nigello p. 270. *Scripsit — sub nomine Brunelli — speculum stultorum.* s) Vide König. Biblioth. f. 137. 138. t) Qvi aqvilus color Latinis, aut *subniger*, is nostris est schwärtzlich/braun/ unde parum latini scriptores brunum dixêre. Formatum ergò à bruno deminutivum *Brunellus*, non multum abludet à *Nigello*.

§. 26. Vicissim tamen admonere Goulartium erroris ac veram ambiguæ phraseos interpretationem suggerere poterat Flacius, qvi profectò clarissimis verbis *Brunellum* vocat non autorem libri, [hunc enim fatetur incertum esse, nec uspiam nominat in Catalogo,] sed librum ipsum: *Extat*, inqvit, *impressus liber, versu non usqvequaqve contemnendo, incerto authore, titulo Brunellus, seu speculum stultorum.* Qvid ergò est, qvòd hæc repetens è Flacio Goulartius nihil monet? Nam si sensit cum eo, cur non rejecit suum de Brunello somnium? si dissensit, cur Flacio non palam contradixit?

§. 27. An dicemus, eum, dum Flacii textum hunc interjecto à se panniculo divellit u), oculo vagabundo jam Flacium inspexisse, jam Balei qvendam abbreviatorem? unde factum sit, ut non satis animadvertens Flacii sensum, licet planissimum, putaverit secum eum sentire, & Brunellum sistere lectori tanqvam autorem poëmatis; qvæ qvidem satis pudenda fuerit supinitas. An potiùs intellexit qvidem sensum Flacii, sed errorem, qvi radices jam egerat, evelli sibi non est passus ab eo, qvi autorem hunc sibi esse incertum profiteretur, atqve sic in eo facilè potuerit labi; ipsum interim veritus est carpere, qvòd Catalogum ejus ornare potiùs, qvàm reprehensioni exponere constituisset?

u) respice ad lit. r. sub §. 18.

§. 28. Qvicqvid sit horum, convictus est Goulartius erroris,

Digitized by Google

ris, dum Brunelli nomen in hiſtoriâ præſente cenſu eodem habet cum nomine Nigelli. Cumq; ſimul hîc in eo qvoq; ſit lapſus, qvòd & Nigello tribuit verſus qvosdam, qvi certè ipſius non ſunt, & è ſeculo illum duodecimo transfert in decimum qvintum, graviter ſuſpectum ſe reddit vel plagii, dum tacet eos, qvi ipſi errorem unum alterumvé præiverant, [Baleus enim certè, qvem ſolum citat, immunis eſt,] vel ſimul enormis imprudentiæ, dum ſomnia ſua ſeqvitur hîc potiùs, qvàm verum eorum, qvos in manibus habebat, ſenſum inveſtigat.

§. 29. Non æqvè exprobrandum Wolferbytano editori, qvòd pro *Nigello* dedit nobis *Vigellum* *w*). Abſolvit à culpâ doctiſſimum virum exemplar ante duo propè ſecula Coloniæ excuſum *x*): à qvo non aliud, cui obſeqveretur, cùm haberet, qvod in eo ſcriptoris invenit nomen, retinendum putavit ſibi. Exhiberi qvoq; *Vigellum* pro *Nigello* ab ejusdem commatis codice Paulino ſuprà *y*) ſumus teſtati.

w). ſuprà §. 12. lit. f. *x*) profitetur hoc ipſe illius editionis titulus. *y*) §. 13.

§. 30. Neq; aliam, qvàm hujusce commatis editionem Georgio Draudio fuiſſe notam inde apparet, qvia in Bibliothecâ ejus claſſicâ nulla *Nigelli* eſt mentio, *Vigelli* tantùm aliqva, verùm & hæc corrupta, cùm & in textu *z*), & in alphabetico indice pro *Vigelio* legatur *Vigelius*: qvod tamen vitium typothetæ imputaverim.

z) p. 1559. ed. Francof. A. 1625. *Veteris VIGELII ſpeculum ſtultorum. Pariſ. apud Joan. Parvum, 1508. in 4.*

§. 31. Illud miror, ne qvidem Anglo Scriptori Thomæ Hyde, Oxonienſi Protobibliothecario, cùm impreſſorum librorum Bibliothecæ Bodlejanæ Catalogum *a*) texeret, verum Autoris noſtri nomen in mentem veniſſe. Solet ille, qvoties nomina ſuppoſititia, ficta, & id genus alia deprehendit, vera illis addere, id qvod & in præfatione profitetur

Digitized by Google

fitetur *b*). Tale nihil, ubi *Vigellum* memorat *c*). Itaq; & *Nigelli* nomen ac *VVirekeri* fruſtrà qværas eo in Catalogo.

a) prodiit hic Oxonii A. 1674. in fol. *b*) his verbis : *Qvorundam nomina planè ſuppoſititia ac ficta, & alia, qvæ aut Anagrammatiſmo, aut aliqvâ ſaltem literarum Metathesi perplexa erant, retexuit. Hujuscemodi eſt — Walo* Meſſalinus, *& Simplicius* Verinus, *& Alexius à* Maſſalia, *quibus Claudius* Salmaſius, & Cirellus, *qvo* Crellius *intelligendus eſt.* *c*) Part. II. f. 232 : *Vetus VIGELLUS. Speculum ſtultorum — 40.*

§. 32. Qværendum hâc occaſione, qvid ſit, qvòd in titulis *d*) editionum, qvas Draudius & Thomas Hyde memorant, nuncupari noſtrum videmus non *Vigellum* ſimpliciter, ſed *Veterem Vigellum?* qvomodo & in inſcriptione *e*) epiſtolæ ad Gvilhelmum appellatur, qvam Paulinus codex & editio Wolferbytana repræſentant. Haud dubium, qvin illud *veteris* nomen è primo poëmatis verſu *f*) ipſi qvoq; libri titulo inſerendum putaverit, qvisqvis talem illi titulum primus præſcripſit.

d) Hos titulos deſcriptos vide lit. z. ad §. 30. & lit. c. ad §. 31.
e) dabimus hanc infrà lit. m. ad §. 66. *f*) *Suſcipe pauca tibi veteris gulhelme vigelli.* Reſpice ad §. 11. & §. 13. in fine.

§. 33. Nimirum exiſtimavit, aut vocabulum hoc *veteris* in primo verſu perinde ut *vigelli* proprium eſſe *g*); aut ſi pro appellativo habuit, [qvale & omninò eſt, ſignificat enim Autor, ſe Gvilhelmi, cui ſcriptum ſuum dedicat, *veterem* eſſe amicum, fratrem, ſodalem,] etiam talibus appellativis non incommodum eſſe in titulis locum. Neutrum benè.

g) Contrarius error Francofurtani fuit editoris, qvi tàm *nigelli*, qvàm *veteris* vocabulum accepit pro appellativo, ſuprà §. 14.

§. 34. De prænomine plus ſatis. Veniamus ad cognomen, qvo noſter Baleo audit *VVireker h*), Pitſeo *VVirekerus i*). Corrigenda hinc ſphalmata typothetarum, qvibus alicubi pro *VVireker* ſcribitur *VVicker k*) vel *VVircker l*).

h) Nonnulli interpoſitâ literâ ſcribunt *Wirecker*. Sed nihil hoc refert. Hallervordio p. 292. Biblioth. Curioſ. noſter eſt Nigellus *de Wireker*.

Digitized by Google

Wireker. *i*) in ipso Catalogo p. 270. In Indice verò Catalogi hujus, sigillatim eorum nomina comprehendente, qvi fuerunt Ordinis S. Benedicti. p. 969. *Wirikerus* scribitur. *k*) apud Isr. Spach. Nomenclat. Scriptor. Philos. p. 187. Rectiùs in Indice Autorum hujus Nomenclatoris alphabethico legitur *Wireker.* *l*) apud Reines. Epist. ad Daum. p. 299.

§. 35. Videmur autem ex hoc familiæ cognomine, [qvod à natali sive regione sive urbe derivatum suspicetur aliqvis,] augurari posse, natione Anglum fuisse nostrum. Utiqve *Wirum* Angliæ fluvium memorat Abrahamus Ortelius *m*); urbem Angliæ *Wirecestre*, [qvam Stephanus Rex anno regni sui 15. incendio deturpaverit,] Henricus Huntindonienſis *n*).

m) in Thesaur. Geogr. lit. W. è Bedæ Eccles. Histor. lib. 5. c. 22. Apud ipsum Bedam p. 240 : *Wyrum* scribi video. Willielmo Malmesburiensi lib. I. de gest. Reg. Angl. (in rer. Angl. Script. f. 21. ed. Francof. A. 1601.) amnis hic *Wira* vocatur, situs in remotissimâ Britanniæ plagâ, in qvâ locum nativitatis suæ Scotiæ propinqvam habuerit Beda. Paulò pòst & *Wirensium* monachorum mentio apud Malmesburiensem occurrit. *n*) lib. VIII. Histor. (in rer. Angl. Script. f. 395.) Conf. eund. lib. VII. (f. 372.)

§. 36. Sed causa non est, ut, cùm de patriâ Nigelli qværitur, ad suspiciones hujusmodi confugiamus. *Anglum* eum fuisse dubitare nos Baleus & Pitseus non sinunt.

§. 37. Johannes Wolfius *o*) *Cantuariensem* appellat. Qvo videtur qvidem innuere, Cantuariæ fuisse natum: sed idoneum, id qvi affirmet, autorem desidero. Illud interim haud verebor enunciare, *Cantuariensis* eum *Ecclesiæ præcentorem* fuisse, testibus fretus Baleo & Pitseo. Qvorum hic simul *Ordinis Benedictini Monachum p*) vocat.

o) Tom. I. lection. memorab. f. 425. ed. Lauing. A. 1600. *p*) Conf. suprà §. 5.

§. 38. Jam *seculo* qvoq; suo Nigellum asseramus. Claruisse ipsum Baleus & Pitseus ajunt anno ab adventu Messiæ in

Digitized by Google

carnem 1200. *sub Anglorum Rege Joanne* q). Hunc ipsum annum & alii plures r) tribuunt nostro. Neq; his refragari dixerim eos, qvibus hîc pro anno 1200. usurpatur 1196. s) vel 1214. t) Potuit enim, qvi exeunte seculo duodecimo claruit, celebritatem nominis & ante annos aliqvot fuisse jam adeptus, & cum vitâ porrò in seculi seqventis spacia qvædam continuâsse.

q) sic Baleus loqvitur. Pitseus: *initiante apud Anglos regnum suum Joanne.* Nimirum post obitum Ricardi I. regnare Joannes cœpit ab anno 1200. usqve ad 1216. (Gvalter. Tom. I. Chron. Polit. p. 347. 349.) Qvâ eâdem periodo, si biennium præmittas, circumscribitur *Innocentii Papæ III.* Pontificatus, qvippe qvem a. 1198. inchoatum finivit a. 1216. (Dieteric. Breviar. Pontif. p. 255. 263.) Cœpit a. 1198. imperare & è Romanis Cæsaribus *Philippus Svevus.* Sed minùs diuturna ipsius administratio fuit, jugulati a. 1208. (Calvis. Chronol. p. 963. 970.) Rectè interim Jo. Wolfius I. mem. f. 425. Nigellum scripsisse ait *Imperatore Philippo, Papâ Innocentio III.* r) Magdeburgenses Centur. XII. f. 1678. Jo. Wolfius d. l. Frisius Bibliothec. f. 636. Hofmann. Lex. Univers. Tom. II f. 23. s) Facit hoc Henr. Oræus Nomencl. præcipuor. Eccles. Doct. p. 106. cujus verba dabimus lit p. ad §. 90. t) Hallervord. Biblioth. Curios. p. 292. his verbis: *NIGELLUS de WIREKER Præcentor Ecclesiæ Cantuariensis circà ann 1214.*

§. 39. Nos seculi, qvo floruit & scripsit Nigellus, rationes ita computabimus. Constat Thomam Becketum u) Cantuariensem Archiepiscopum ab Alexandro III. Papâ anno 1174. w) relatum inter Sanctos fuisse; Joannem Saresberiensem x) obiisse anno 1182. y) Jam cùm juramenti per hunc Thomam [tanqvam videlicet à Summo Pontifice Divis adscriptum] mentionem faciat noster in Speculo suo z), in Speculum autem hoc commentatus sit Saresberiensis a): necesse est statuamus, elucubratum hoc à Nigello Poëma fuisse aliqvâ temporis intercapedine, qvæ annos 1174. & 1182. disterminat.

u) ita vocatur à Dieterico p. 247. Breviar. Pontif. Baleo f. 210. Pitseo

Digitized by Google

Pitseo p. 238. *w*) Calvis. Chronol. p. 940: Annum hic 1173. memorat Bucholcer. Chronol. p. 331. *x*) ita vocatur passim. Baleus *Sarisburiensem* appellat, *Salesberiensem* Pitseus. *y*) Baleus f. 212. Pitseus p 247. Philipp. Labb. Tom. I. de Script. Eccles. p. 606. *z*) p. 127. ed. Wolferb. *Juravitq; mihi per Numina summa, suumq; Baptismum, Christi per caput atq; pedes: Per Sanctum Jacobum, per Thomam Cantuvariensem.* *a*) Baleus l. c. Pitseus p. 249. & 270. Vocatur hoc qvidem in dubium, sed rationem dubitandi discutiemus infrà §. 73. seqq.

§. 40. Ut autem porrò credamus, non diu post annum 1174. hunc à Nigello editum fuisse partum, ea nos ratio movet, qvia hoc in eodem poëmate *Gilbertinorum* ordo, seu *Sempringhamensis b*), qvem Baleus pariter ac Pitseus *c*) A. 1148. *d*) inchoatum referunt, & ab Eugenio Papâ III. *e*) confirmatum, *novus* vocatur, & *nuper repertus*. Qvò longiùs autem ab anno 1174. progressum est illud seculum, eò magis antiqvata fuit illa *novitas*, ac nomen hoc amisit.

b) Fundavit hunc ordinem *Gilbertus de Sempbingham*, [de qvo suprà lit. x. ad §. 19.] & ita fundavit, ut primum ejus ex tredecim, ac celeberrimum cœnobium in pago suo natalitio & paternâ hæreditate *Sempringham* construeret, testibus Baleo f. 225. & Pitseo p. 253. Itaqve passim hic Ordo à Fundatore vocatur *Gilbertinorum*. Gvillelmus Neubrigensis vocat *Sempringhamensem* lib. I. de reb. Angl. c. 16. p. 50. [ed. Paris. A. 1610. cum notis Jo. Piccardi.] *Nec silentio prætereundus est venerabilis Gilbertus, à qvo & ordo Sempringhamensis sumsit exordium.* *c*) locis modò citatis. *d*) annum 1146. ex Episcoporum Lincolniensium tabulis ms. memorat Joan. Piccardus notis ad Gvill Neubrig. p. 697. Sed nihil hinc argumento nostro decedit. *e*) Papæ hujus periodum ab a. 1145. ad 1153. extendit Dieteric. Breviar. Pontif. p. 239. 241.

§. 41. Adscribemus hanc in rem ipsos Nigelli versûs, secuturi jam Francofurtensem *f*), jam Wolferbytanam *g*) editionem, prout qvæqve locis diversis sanior alterâ videbitur. *Est & adhuc alius nuper novus h*) *ordo repertus, Qvem benè, nam bonus est, commemorare decet. Hic apud Anglorum fines exortus,*

Digitized by Google

ab ipso Nomen habet, natus quo fuit ille, loco i). Sempringham k) dictus de simplicitate vocatus, sive per antiphrasin ordo vocatur ita.

f) p. 455. ubi titulus versuum : *De Ordine Simplegensium.* Scribe: *Sempringhamensium*, vel, *Sempringhamensi.* Rationem emendationis ultrò intelliges è lit. b. ad §. preced. *g*) p. 84. ubi titulus: *De ordine novo in Angliâ constituto. h*) alibi vocatur *nova res*, eodem sensu. Habes hoc in suprà §. 20. citatis versibus. *i*) Sensus: Ordo ille vocatur *Sempringhamensis*, vel de *Sempringham*, à loco nempe, in qvo primum ejus monasterium exstructum. *k*) ita & hîc legendnm esse svadent, qvæ jam lit. d. ad §. 20. monuimus. Qvod autem pro *Sempringham* Francofurtensis exhibet *Simplegam*, Wolferbytana *Simpligama*, [qvod & in Paulino codice reperio, in altero meo est *Simplegeam*,] factum inde apparet, qvia placuit nostro [ut solent Poëtæ ludere] derivare hoc vocabuli à *simplicitate*. Passim autem corruptum id & alibi reperies, pagi qvippe nostris ignoti, & sic obscuri, ut nec in Ortelii Thesauro Geographico, nec Hofmanni Lexico Universali reperias.

§. 42. Satis, opinor, demonstratum ita est, Nigellum fuisse Scriptorem seculi duodecimi. Itaqve meritò fidem derogamus Goulartio, qvi nostrum ex eo seculo transferens in decimum qvintum *l*), recentiorem eum [errore satis grandi] facit annis plus minus trecentis: magnæ simul ignaviæ reus, dum Testes Veritatis juxta seriem temporum partiri cogitans *m*), nec Nigelli nomen ignorans *n*), ne Magdeburgensium qvidem Centurias hîc consuluit, è qvorum tamen penore ut instruxisse Catalogum suum vult videri *o*), sic deprehendere veram seculi, qvo vixit noster, notitiam facilimè poterat *p*).

l) Catal. Test. Verit. lib. XIX. f. 1871. Sic autem res habet: Constituerat Goulartius Testes Veritatis in Catalogum à Flacio relatos & augere, & justo seculorum ordini [neqve enim hunc ubivis exqvisitè observat Flacius,] reddere. Digerit ergò Catalogum hunc, qvod Flacius non fecerat, temporum seriem secutus, in certum Librorum numerum, sic tamen, ut secula nonnulla plures uno libros occupent. Factum ita, ut decimi qvinti seculi Testes Veritatis inchoentur demum

Digitized by Google

mum libro XIX. cujus hoc est f. 1821. initium: *Seculum decimum quintum post Christum habuit Cæsares Rupertum, Sigismundum* &c. Atqve in his Testibus & noster est Nigellus, seu ut Goulartius appellare mavult [respice ad §. 18.] Brunellus. *m*) verba ejus qvære lit. q. ad §. 18. *n*) planum hoc è lit. r. ad §. 18. *o*) in Epist. Dedic. *Qvapropter*, inqvit, *novus Catalogus jure qvodam dici possit, qvicqvid anno 1597. & postremâ hâc editione ex prioribus editionibus, deinde ex Centuriis Magdeburgicis, aliisq; veterum & recentiorum scriptis collectum — conspicitur.* p) Memorant enim Magdeburgenses Nigellum sub Centur. XII. f. 1678. & floruisse scribunt anno 1200. perinde ut Baleus, qvem citant.

§. 43. Non prætereundus hîc nobis est Johannes à Münster, qvi deceptus, ut apparet, à Goulartio, [hunc enim passim in adstringendis ad seriem temporum Testibus Veritatis seqvi amat,] seculo & ipse decimo qvinto alligat *q*) Scriptorem Speculi stultorum: qvem [ut hoc obiter interseram] Michaël Casparus Lundorpius *r*), dum germanica Münsteri verba *s*) latinè interpretatur, Anonymum vocat *t*).

q) im Adelichen Discurs / unter dem dritten Hauptstück / durch welche Mittel der Abfall zu verscheidenen Zeiten verbessert worden / vor Luthero p. 219. ed. Steinfurt A 1613. *r*) *Nobilis Discursus Johannis à* Münster duobus Tomis *Ideæ reformandi Antichristi*, sub nomine Eryci Rhonæi vulgatis, [qvorum memorandorum occasio nascetur infrà nobis lit. r. ad §. 50.] tanqvam tertius Tomus accessit, Francof. A. 1623. Qvam editionem qvis evolvens nesciat, sitne ab ipso Münstero liber hîc latinè scriptus, an ab alio [cujus qvidem nomen nusqvam ibi comparet,] in latinam translatus lingvam. Sed qvæ seorsim A. 1621. prodierunt primæ *Nobilis* hujus *Discursûs* paginæ, [aliarum, qvæ titulum Tomi III. *Ideæ reformandi Antichristi* præ se ferunt, permutatione, ut apparet, abolitæ post à] demonstrant, opusculum hoc ex Autoris germanico scripto latinè redditum fuisse à *Michaele Casparo Lundorpio*, Historiographo Mœno-Francofurtensi, qvi versionem hanc suam dedicavit Jacobo I. Magnæ Britanniæ Regi. *s*) ea hæc sunt: Zum 174. könte ich allhie auch Brunellum, oder den Spiegel der Thoren / so an. 1460. wider den Bapst / seine Irr-

Digitized by Google

thume und andere Sachen geschrieben worden / anziehen &c. 1)

Sic enim vertit p. 243. *Possem & hic Brunellum, seu Speculum stultorum, Anonymi cujusdam Scriptoris, — allegare*, &c. Scriptorem hunc Münsterus ipse non vocat anonymum. Veruntamen neqve nomen ejus exprimit. Atqve hinc natam Lundorpio dixerim suspicionem, ut pro Anonymo ipsum haberet.

§. 44. Sed qvid est, qvòd Münsterus seculi mentione non contentus, annum etiam, qvo speculum illud suum autor scripserit, definire nobis audet [qvod qvidem Goulartius non fecerat] 1460 *u*)? Videamus an ultimum utriusq; erroris, qvi & in seculo Goulartium, & in anno seculi Münsterum frustratus est, fontem qveamus deprehendere.

u) Verba Münsteri repete è lit. s. ad § præced.

§. 45. Scripserat Flacius: *Vidi ejus* [Brunelli seu Speculi stultorum] *exemplar manuscriptum vetustius* 100. *w*) *annis.* Non dubium, qvin manuscriptum Flacius hîc intellexerit non ipsius autoris, sed librarii cujuscunqve, qvem ipse suspicatus est calamum huic operi describendo ante años amplius centum admovisse. At Goulartius hoc de αὐτογράφῳ autoris videtur interpretatus, qvem Flacius ita, decimi sexti Scriptor seculi seculo se uno priorem pronunciaverit.

w) Numerus hic est in omnibus, qvas inspexi, Catalogi Flaciani editionibus, Basileensi anni 1556. [qvam alia nulla, qvod sciam, præcessit,] p. 933. Argentinensi anni 1562. f. 539. & Francofurtensi A. 1666. p. 790. Corrige igitur sphalma editionis Goulartianæ, ubi f. 1871. typotheta pro 100. exhibet 160.

§. 46. Porrò Johannes à Münster, cùm Goulartio credidisset, esse nostrum omninò decimi qvinti seculi scriptorem, ut annum qvoq; scriptionis, Goulartio curiosior, indagaret, videtur eum ex anno editionis ejus, qvæ Catalogum Flacianum año 1562. peperit *x*), computare voluisse. Nam si ab hoc anno 1562. demas annos 102. [hi verò jam sunt amplius centum,] prodibit annus 1460.

x) de qvâ modò dictum lit. *w*. ad §. præced.

§. 47.

Digitized by Google

§. 47. Sed relinqvamus his tandem sua somnia. Certum nobis, floruisse Nigellum non qvinto, sed secundo post decimum seculo Christiano. Qvod etsi jam satis adultâ barbarie fuit occupatum, non caruit tamen Viris doctrinæ variæ, styliq; non planè aspernandi laude celebribus: qvales *Bernardus Abbas Claræ-vallensis*, *Petrus Blesensis*, *Joannes Saresberiensis*, *Saxo Grammaticus*, *Guntherus Ligurini Scriptor*, aliiq;.

§. 48. Atq; his non immeritò noster accensebitur, *Vir*, ex Lelandi *y*) sententiâ, *pietate & doctrinâ clarus, variæ lectionis, boni judicii, Theologus insignis, Philosophus non vulgaris, Rhetor facundus, Poëta elegantissimus z*): *qui virtutis & eruditionis intuitu non solùm suo monasterio, sed etiam toti patriæ decus fuit & ornamentum.*

y) qvem citat Pitseus p. 270. Conf. Baleum f. 245. cujus verba dabimus infrà lit. t. ad § 78. *z*) Etiam Jo Jac. Hofmanno audit *Theologus solidus, Philosophus subtilis, Orator eloqvens, Poëta ingeniosus*, Lexic. Univers. Tom. II. f. 23.

§. 49. Haud dubium, qvin famam ipsi doctrinæ haud vulgaris ac pietatis præclaræ meruerint scripta, qvæ plurima concinnasse fertur: qvanqvam ex iis non nisi octo memorantur à Baleo *a*), qvæ sunt (1.) *Speculum stultorum*. (2.) *Nocnita ad amicum*. (3.) *Adversùs barbariem*: [tria hæc sermone ligato exarata esse prima singulorum verba *b*) produnt;] (4.) *Super vitiis curatorum*. (5.) *Distinctiones utriusqve Testamenti*. (6.) *De abusu rerum Ecclesiæ*. (7.) *Excerptiones c*) *ex Gvarnerio*. (8.) *Commentarii Numerorum*.

a) Baleum hîc seqvuntur Magdeburgenses Cent. XII. f. 1678. & Frisius Biblioth. f. 636. *b*) Solet enim Baleus, [qvod & alii qvidam faciunt] qvoties Autorum scripta recenset, initia singulorum [modò ea comperta habeat] adscribere. Ac *Speculum* qvidem *stultorum* esse poëma nemo ignorat hodiè, cùm liber ille sit in manibus. Idem de tertio scripto [qvanqvam hoc perperam Nigello tribuitur,] *Adversùs* barbariem, res ipsa loqvitur, ut mox planum fiet §. 53. *Nocnita* verò ad amicum his verbis inchoari prodit Pitseus pariter & Baleus:

Digitized by Google

leus: *Postquam tristis hyems zephyro.* c) ita Baleus & Pitseus vocant: è qvibus corrigendi Magdeburgenses & Frisius, qvi [demptâ literâ] *exceptiones* scribunt.

§. 50. Nec plura his refert Pitseus, nisi qvòd mentionem interjicit scriptæ à Nigello *ad Guilhelmum Episcopum Elienſem epistolæ de eruditione Prælatorum*, qvæ MS. servetur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. De Elienſi hoc Episcopo dicendi occasio infrà d) nascetur nobis. De libello ipso nihil habemus, qvem ne qvidem publicæ luci per typographos unqvam in hanc usqve diem expositum fuisse arbitramur.

d) §. 71.

§. 51. Eandem ob causam e) silere cogimur de cæteris qvoq; Nigelli scriptis omnibus, si duo tantùm ipsi assignata poëmata excipiamus, *Speculum* nempe *stultorum*, & illud *adversùs barbariem*. Incipiemus à posteriore: nam hoc non ita multum nobis negotii faceſſet.

e) Non multum sudasse typographos in excudendis Nigelli scriptis, vel ex eo auguramur, qvòd in Catalogo impressorum librorum Bibliothecæ Bodlejanæ altum est de *Nigello Wirekero* silentium. Imò scriptor illius Catalogi Thomas Hyde, qvod suprà §. 31. ostendimus, ne qvidem tùm verum autoris nostri nomen in promptu habuit, cùm Speculum ejus memoraret.

§. 52. Est autem reverà poëma hoc non Nigelli, sed *Joannis Saresberienſis*, [qvem Baleus *Sariburienſem* appellat, *Salesberienſem* Pitseus:] nec *adversùs barbariem* scriptum, sed admonitio qvædam, qvâ Saresberienſis, prosopopœiâ utens, alloqvitur Policraticum suum, hoc est, scriptum de nugis Curialium. Ut adeò bis in eo peccaverint Baleus & Pitseus, vel alius fortè potiùs, qvi primus illis hos errores præivit.

§. 53. *Joanni Saresberienſi* vindicandum esse hoc poëma, difficile demonstratu non est. Nam initium ejus hoc profertur à Baleo & Pitseo: *Si mihi credideris, lingvam cohib.* Atqvi hoc idem carmen [est autem versuum 306.] præmittitur

Digitized by Google

tur Policratico Saresberiensis *f*), cum hâc inscriptione: AUTOR AD OPUS SUUM. Adscribam integra districha, primum & ultimum. *Si mihi credideris, linguam cohibebis, & aulæ Limina non intret pestuus, esto domi.* Hoc inchoatur carmen: finitur illo: *Et, nisi festinus fugeres, te plura monerem, Vix pateris dici pauca, vel ista tene.*

f) in edit. Lugd. Batav. A. 1595. nec dubito qvin & in aliis.

§. 54. Qvid? ipsè Baleus *g*) & Pitseus *h*) carmen hoc inter scripta Saresberiensis referunt, suo sic gladio jugulandi. Qvamobrem & Baleus hîc memoriâ labi videtur Reinesio, simul illud conjicienti *i*), pro *Eutheticon* (hunc enim titulum carmini præfigit Baleus, nec alium Pitseus,) legendum esse fortè *Nutheticon*. Sanè verò Νουθετικὸν, hoc est, *Admonitorii* titulum optimè qvadrare in hoc poëma, vel illa duo districha vincunt, qvæ modò descripsimus.

g) f. 211. *h*) p. 249. *i*) Epist. ad Daumium p. 197. Conf. ibid. p. 209. 210. responsoriam Daumii ad Reinesium.

§. 55. Qvi verò carmini huic, cùm illud Nigello affingeret, titulum præscripsit, *adversùs barbariem*, ipse viderit, qvo eum tibicine fulciat: ab operis enim argumento planè est alienus. Eqvidem versus hujus carminis decimus qvartus hic est: *Nonnisi barbariem barbara lingua sonet.* An ergò suspicabimur, cogitanti alicui de titulo præfigendo, cùm in hunc fortè pentametrum festinabundus incideret, putavisse, commodam illam *barbariei* carpendæ præscriptionem fore?

§. 56. De Pitseo illud monendum insuper, non leviter in eo qvoqve fuisse lapsum, cùm libros à Saresberiense scriptos memorans, *Eutheticon* illius *in Polycraticon* distingvit *k*) ab *Euthetico* ejusdem *metrico*, cujus initium sit: *Si mihi credideris* &c. Non enim dùo hæc distincta opuscula sunt, sed unum idemqve.

k) prius illud memorat p. 248. posterius hoc p. 249.

§. 57. Satis de fœtu, qvem incuria Scriptorum suppositit

Digitized by Google

Nigello. Veniamus ad genuinum ejus partum, qvi *Brunellus* inſcribitur, ſeu Speculum ſtultorum. Eqvidem de hoc non pauca jam in ſuperioribus reperies *l*), ſparſim à nobis ſeminata, cùm de nomine ac ſeculo Scriptoris ſoliciti multa cogeremur & de poëmate proferre, & ex eodem mutuari: ſed horum notitia jam & exqviſitiùs ordinanda nobis, & acceſſionibus non parcis augenda venit.

l) cumprimis §. 12. 18. 19. 20. 21. 26. 29. 30. 31. 39. 40. 41. 43.

§. 58. Ipſum Nigellum manum huic operi admoviſſe temporis aliqvo ſpacio, qvod annum 1174. à 1182. ſejungit, ſuprà *m*) docuimus: unde neceſſe fuit, hallucinationis graviſſimæ reum agi Joannem à Müinſter, qvi librum hunc ab autore ſcriptum fuiſſe putavit anno 1460. *n*).

m) §. 39. *n*) reſpice ad §. 44.

§. 59. Viciſſim Clariſſimi Hallervordii ſententia, *circà annum* 1190. Elienſi Epiſcopo Gvilielmo dicatum fuiſſe carmen hoc aſſerentis *o*), adeò affinis eſt noſtræ, ut qvicqvid eſt inter utramqve pugnæ, ſtudio commodæ interpretationis adhibito, tolli poſſe videatur. Non enim *anno* 1190. ſed *circà annum* 1190. factum id eſſe ſcribit; id qvod extendi valet ad aliqvem annorum non longè præcedentium. Verùntamen adjuncta huic aſſertioni mentio *Epiſcopi Elienſis* facit, ut verear, ne ſecutus ipſe ſit hypotheſin noſtræ ſic adverſam, ut conciliationi non ſit locus, ut infrà *p*) luculentè oſtendetur.

o) Biblioth. Curioſ. p. 292. *Brunellus ſive ſpeculum ſtultorum carmine conſcriptum, & Gvilielmo de Longo-Campo Epiſcopo Elienſi circà annum 1190. dicatum prodiit Coloniæ 1499. in 4.* *p*) §. 72. & ſeqq.

§. 60. Qvod ad vetera Speculi ſtultorum exemplaria manuſcripta attinet, tria memorari ea deprehendimus. Qvorum *unum* Flacius ſibi viſum ait vetuſtius centum annis *q*); *altero*, Parabolis Alani manu cujusdam Martini de Myſâ exaratis adjuncto, Andream Senſtlebium fuiſſe uſum, è Joh-

Digitized by Google

è Joh. Gebhardo *r*) didicimus; *tertium* in editionis Francofurtensis titulo fertur fuisse *Regii* cujusdam *Goraddivi s*) Italogermani.

q) Respice suprà ad §. 45. Scripsit autem hæc Flacius primùm A. 1556. ut adeò manuscriptum hoc præsentis anni, qvem numeramus 1679. comparatione ætatem ferre videatur duorum seculorum, & qvod excurrit. *r*) monit. ad Lector Parabolarum Alani cum notis Senftlebii a. 1663. editarum, p. 16. *Parabolis his*, inqvit, *adjunctus est jam laudatus Brunellus, scriptum si non ejusdem, tamen non admodùm seqvioris ævi Satyricum, ab eodem Senftlebio nostro cum exemplari veteri impresso collatum, & æqvè luci publicæ, ante XX. abhinc annos destinatum. At enim, cùm inevitabilis illa fati necessitas Philologum hunc solertissimum corriperet, intentionem qvoqve hanc ejus laudatissimam interrupit.* *s*) *Regii Goraddivi* nomen usurpatur non modò in *Praxi jocandi*, cui speculum hoc stultorum accessit, A. 1602. editâ, (vide suprà lit. e. ad §. 12.) sed & in *supplemento Praxeos jocandi*, (sic vocatur hic alter libellus in lemmatibus paginarum,) qvod pariter Francofurti prodiit A. 1605. hoc titulo: *Ars vexatoria, hoc est, jocandi innoxiè — ratio prompta atqve extemporanea, — ex manuscripto REGII cujusdam GORADDIVI primùm eruta.* Qvis sub hoc nomine lateat, (fictum enim esse nemo dubitabit,) fateor me certò compertum non habere. Eqvidem si ex anagrammate res judicanda, *Regius Goraddivus* erit *Georgius Draudius*. Sed cur ipse Draudius, dum in Bibliothecâ Classicâ suâ p. 1155. *Praxin jocandi* memorat, (ubi qvidem nominum horum ordinem invertit, proq; *Goraddivo* scribit *Goraddinum*, nisi culpa hæc in typothetam transferenda,) non solvit hoc ænigma? nam aliàs p. 349. non veretur fateri suum esse Tomum Canicularium dierum III. qvi sub Simonis Majoli nomine prodierat. Cur *Praxeos jocandi supplementum* planè tacet? An puduit ipsum, qvi Pastor esset Ecclesiæ Ortenbergensis, scripti in jocis atqve facetiis occupati? An alia nobis anagrammatico artificio nomina inqvirenda? An, qvicqvid de *Regii Goraddivi manuscriptis* præ se ferunt utriusqve libelli rituli, merus Bibliopolarum fucus fuit, emptori allicicendo comparatus? Sanè verò certum hoc habeo, *in supplemento Praxeos jocandi* multa reperiri deprompta (licet hoc nusquam indicetur) *è Mensâ Philosophicâ Theobaldi Auguilberti*, qvæ & sub nomine *Michaelis*

Digitized by Google

elis Scoti (sed perperam) prodiit Francofurti A. 1602. & Lipsiæ A. 1603. ut adeò in his ad manuscripta recurrere nulla necessitas coëgerit.

§. 61. Admoverunt verò huic operi manum qvoqve suam nõ semel Typographi, variasq; ejus editiones procuraverunt. E qvibus tamen haud visæ sunt nobis illæ, ut apparet, distinctæ qvatuor: qvarum *unam* Frisius *t*) memorat, vulgatam a. 1478. *alteram* Hallervordius *u*) Colonienſem anni 1499. *tertiam* Wolferbytanus editor *w*), ipsam qvoqve Colonienſem, sed anni incerti, & cum Ovidii libris de vetulâ junctim excusam; *qvartam* Draudius *x*) Parisienſem anni 1508. Qvibus & *qvinta* potest accedere, qvam Thomas Hyde *y*) memorat, nec loci nec temporis mentionem adjiciens, nisi eadem hæc est fortè cum *qvartâ* *z*).

t) Bibliothec. f. 636. *Ejus* [Nigelli] *speculum stultorum, carmine hexametro scriptum, anno 1478. editum.* Eadem totidem penè verbis leges apud Spachium Nomencl. Script. Philos. p. 187. *u*) Hujus verba descripsi lit. o. ad §. 59. *w*) in ipso editionis suæ titulo: *Brunellus Vigelli, & Vetula Ovidii, seu Opuscula duo Auctorum incertorum, — ambo ante duo prope secula junctim publico charactere Coloniæ excusa.* *x*) Verba Draudii qvære lit. z. ad §. 30. *y*) suprà lit. c. ad §. 31. *z*) Utriusq; enim titulus & forma congruunt. Qvod autem nec loci nec temporis mentio apud Thomam Hyde occurrit, forsan incuriæ imputandum.

§. 62. Vicissim scribentibus hæc nobis in promptu fuerunt alia duo distinctarum editionum paria suprà *a*) jam memorata, sed jam detegenda clariùs. Est autem in his unum par seculi alicujus prisci, anni & loci designatione carens; alterum præsentis, nimirum editio *Francofurtensis* anni 1602. & *Wolferbytana* anni 1662. Jam, ut veteres qvoqve distingvi possint, unam vocabimus in posterum *codicis domestici*, alterum *Paulini*: priorem enim privata nobis, posteriorem publica hujus Academiæ Bibliotheca suggessit. Ejusdem cum codice domestico editionis etiam esse exemplum, qvod Cygnea Bibliotheca asservat *b*), cùm apographum ejus

Digitized by Google

ejus à Celeberrimo Daumio communicatum mihi perlustrarem, non levibus indiciis deprehendi.

a) §. 12. & 13. *b*) exempli hujus pariter & apographi mentio in epistolâ Daumianâ ad Reinesium, qvam in Reinesianis qvære p. 300.

§. 63. Illi duo vetusti codices admodùm inter se discrepant; nec minor pugna editionum duarum recentium. Sed in his uti Francofurtensis accuratè satis, dummodò pauca qvædam excipias *c*), domestico nostro congruit: Sic Wolferbytana propè gemella est Paulino: qvem ideò non absimilem pronunciare licebit illi esse Coloniensi editioni, ad qvam se conformatam profitetur Wolferbytana. Omninò par novum illud pari veteri consonum passim jam in veris lectionibus, jam in falsis *d*), jam in variis *e*) qvoqve deprehendi.

c) Inter alia observavi, deesse disticha qvædam editioni Francofurtensi, qvæ in domestico tamen meo codice reperio: ut illud, cui p. 361. sub lemmate, *Consolatio Galeni*, penultimus debebatur locus, (atqve adeò proximus ante versum: *Firmiter ergò tene.*) *In titulo caudæ Francorum Rex Ludovvicus Nonte præcellit, Pontificesq́ sui.* *d*) Specimen qvære lit. g. ad §. seq. *e*) vide infrà lit. c. ad §. 87. item lit. h. ad §. 95. & alibi.

§. 64. Fatendum interim, utramqve de recentibus editionem castigatiorem esse vetustis illis duabus; neqve huic se negotio præfuisse negat editor Wolferbytanus *f*). Veruntamen & utriqve ex alterâ, si inter se [qvod in apographo suo CL. Daumius facere instituit] conferantur, accendi nova lux poterit *g*), præsertim si manuscriptorum insuper accedant subsidia *h*). Præferri autem Francofurtensi meretur Wolferbytana vel eam ob causam, qvòd codicem, qvem seqveretur, integriorem *i*) adepta est, ut è dicendis *k*) intelligetur. Qvare & nos citandis in posterum paginis ad eam freqventiùs respiciemus.

f) præfat. ad Lect. p. 11. *Nostrum fuit — libros eos suæ genuinæ integritati*

gritati & luci — quantum pote restituere, nec in minimis etiam adulterare, sed bonâ fide, ſicubi neceſſitas extorſerat, caſtigare. *g*) Ita factum à nobis ſuprà §. 41. Hîc illud addo. Wolferbytana p. 31. in benedictione irriſivâ Galieni, [ſic monachi ſolebant Galenum appellare,] datâ Brunello, hoc diſtichon ſiſtit: *Omnipotens omina tibi mille det, & tua cauda Obtineat pro ſe millia dena ſibi.* Sed è p. 381. ed. Francofurt. corrigenda hæc, legendumqve in hexametro *edia*, in pentametro *damna*. Viciſſim, ubi in Francofurtenſi p. 45. habes: *Donec* ejus *ætas talia poſſe negat*, è Wolferbytana p. 84. pro *ejus* reſcribendum *eis*. Qvicqvid autem hîc ſive veræ ſive falſæ lectionis exhibet editio Francofurtenſis, idem & in codice domeſtico reperio: pariter qvicqvid Wolferbytana, in Paulino. *h*) Conf. Joh. Gebh. ad Lectorem Parabol. Alani p. 15. 16. *i*) Eqvidem Wolferbytanæ editioni duo deeſſe diſticha obſervavi, [de qvibus infrà lit. y. ad §. 97.] ſed tanti res hæc, cæterorum comparatione, non eſt, ut ſuam illi laudem hinc minuamus. *k*) §. 66 & 69.

§. 65. Age conferamus utramqve inter ſe editionem Wolferbytanam & Francofurtenſem, qvarum illam Veteri Paulino Codici, hanc domeſtico noſtro ſic ſatis reſpondere diximus. Unde qvæ de ambabus recentibus editionibus proferentur, ad illas qvoqve duas antiqvas pertinere cenſenda erunt. Diſcrimina verò qvatuor obſervavimus præcipua.

§. 66. *Primò*: Wolferbytana præmittit prologum *l*), ſeu Epiſtolam ſolutæ orationis, eamqve prolixam, Autoris ad Gvilhelmum *m*), qvâ ſuam illi de aſino fabulam interpretatur, de qvâ plura dicendi naſcetur infrà *n*) nobis occaſio. Ea verò nulla conſpicitur in Francofurtenſi.

l) ſic vocatur in fine p. 9. *m*) Inſcriptio ejus hæc eſt: *Incipit Epiſtola Veteris Vigelli ad Gvilhelmum amicum ſuum ſecretum, continens integumentum Speculi ſtultorum ad eundem directi, & inferiùs ſcripti.* Initium ejus dabimus infrà lit. n. ad §. 76. *n*) §. 76.

§. 67. *Secundò*: Wolferbytana tùm in Prologi hujus, tùm in ipſius Poëmatis initio nomen *Vigelli* tribuit Autori, pro

Digitized by Google

pro qvo rectiùs *nigelli* occurrit in primo versu editionis Francofurtensis *o*); nisi qvòd prima ejus litera majorem postulabat formulam *p*). Est autem in his duabus editionibus lectionum alibi qvoqve passim magna varietas *q*).

o) p. 352. Est enim poëma hoc Nigelli Praxeos jocandi ultima ibi appendix. *p*) de hoc negotio suprà §. 14. 15. disseruimus. *q*) regredere ad §. 63. in fine.

§. 68. *Tertiò*: cùm Poëma hoc in varia sectum sit membra, hisqȝ sua singulis lemmata legantur præscripta: nec sectiones membrorum in utrâqve editione sunt eædem, nec eadem lemmata *r*).

r) e. g. in Wolferbytana primum lemma, primis præfixum distichis, hoc est p. 10. *Incipit Prologus in Speculum stultorum*; secundum disticho nono antepositum, ibid. *Incipit pars executiva*; tertium p. 12. *De asino, qvaliter voluit caudam suam fieri longiorem.* Francofurtensis autem hìc non nisi duo habet lemmata [duobus videlicet membris primis in unum concrescentibus,] qvorum prius [qvod qvidem domestico meo codici, qvi aliàs circà lemmata satis respondet Francofurtensi, nullum comparet,] p. 352. *Præfatio ad Gvillermum amicum*; posterius p. 356. *De qvodam asino, qvi optavit caudam sibi fieri longiorem.*

§. 69. *Qvartò*: qvicqvid in Wolferbytanâ editione à lemmate p. 109. *s*) usqȝ ad lemma p. 116. *t*) versuum legitur [sunt autem plures ducentis,] id omne deest Francofurtensi, qvæ duos versûs ab his lemmatibus proximos: *Talia dicente Nisо, mea lumina clausit*, &, *Talia dicenti subitò de nare sinistrâ*, conglutinavit [intermediis omnibus omissis] in hunc unicum p. 488. *Talia dicenti Nisi de nare sinistrâ.* Atqve hunc eundem defectum deprehendo in codice domestico meo, non deprehendo in Paulino: id qvod vel maximè prodit illam recentium duarum pugnantium editionum cum æqvè pugnante pari vetustorum, qvam non semel hactenus indicavi, consprationem.

s) *Voluntas & ratio loqvitur ad Galienum.* *t*) *Timet Brunellus de eventu futuro malo.* &c. *u*) §. 13. 63. 65.

§. 70. Tan-

Digitized by Google

§. 70. Tantum de libri hujus, ab autore primùm ſcripti, poſt à librariis partim, partim à typographis deſcripti natalibus. Progrediamur ad alia. Poëma id eſſe, & *elegiacum* qvidem, ignorare nemo poteſt, qvi vel oculo fugitivo recentium editionum exemplar aliqvod inſpiciet. Qvod igitur Joh. Jacobus Friſius, & Iſrael Sphachius *w*) carmine *hexametro* ſcriptum id eſſe ajunt, inde factum dixerim, qvòd qvi errorem hunc primus erravit, cùm oculos conjiceret in veterem ejus generis codicem, qvalis eſt Paulinus, ubi pentametri juxta cum hexametris æqvali penitus linearum ſpacio inchoantur, primumq; verſum hexametrum eſſe deprehenderet, reliqvos omnes ejusdem eſſe metri ſit arbitratus.

w) vide lit. t. ad §. 61.

§. 71. Inſcripſit hoc poëma ſuum Nigellus *Gvilhelmo* cuidam, ſeu *Gvillermo* *x*). Qvis ille fuerit, ſi maximè omnes poëmatis verſûs, omnes epiſtolæ ab autore præmiſſæ lineas perluſtres, accuratè definire non poteris. *Gvilhelmum de Longo Campo, Epiſcopum Elienſem y*), *Cancellarium Regni* fuiſſe, affirmant Baleus & Pitſeus: ad qvem aliàs epiſtolam ſcripſerit de eruditione Prælatorum *z*), librum item de abuſu rerum Eccleſiæ *a*).

x) reſpice ad §. 11. *y*) Sic Pitſeus vocat, & alii. Baleus *Longeshampium Eligenſem Epiſcopum.* *z*) memorat hanc ſolus Pitſeus, ut jam §. 50. monitum. *a*) memorat & hunc Pitſeus, licet non addat diſertè, [qvod aliàs verbis Lelandi facit Baleus, ut infrà lit. t. ad §. 78. videbis,] Gvilhelmo Epiſcopo Elienſi inſcriptum fuiſſe.

§. 72. Neq; librum hunc de abuſu rerum Eccleſiæ, neq; illam de eruditione Prælatorum epiſtolam conſpicere licuit mihi; itaq; de iis rem relinqvam in medio. *Brunellum* autem *Elienſi Epiſcopo dedicatum fuiſſe*, ut aſſentiar, perſvadere mihi non poſſum, tametſi videam, adſtipulari huic ſententiæ πολυμαθέσταλον Reineſium.

§. 73.

Digitized by Google

§. 73. Ventilanda verò simul qvæstio: *Num in Brunellum, sive Speculum stultorum commentatus fuerit Johannes Saresberiensis?* Affirmant Baleus *b*) & Pitseus *c*): negat Reinesius *d*) ex hoc ipso, qvia Saresberiensis obierit anno 1182. *e*), Brunellum verò Wilhelmo de Longo-Campo Episcopo Elienſi, qvi factus est *f*) à Richardo Rege Angl. A. 1189. obiitq; A. 1197. in exilio prope Pictavium, sepultus in Abbatiâ de Pinu, inscripserit Nigellus. Atq; ex hoc eodem fonte suspicor fluxisse Hallervordii sententiam *g*), carmen hoc Nigelli Episcopo Elienſi circà annum 1190. fuisse dedicatum asserentis.

b) f. 212. *c*) p. 249. & 270. Posteriorem hunc locum qvære infrà lit. u. ad §. 78. *d*) Epist. ad Daum. p. 197. *e*) id suprà §. 39. y. probavimus testimoniis Balei, Pitsei, Labbei. Reinesius hîc & Rob. de Monte append. ad Sigeb. citat. *f*) subaudi, Episcopus. Franciſc. Godwin p. 307. de Præsulibus Angliæ: *Ultimo die Decembris anni prædicti* [1189.] *Gulielmus de Longo-Campo, Angliæ Cancellarius, in Episcopum Elienſem consecratus est.* *g*) de qvâ suprà §. 59.

§. 74. Si hæc admittimus, necesse est, fateamur, secum ipso pugnare tùm Baleum, tùm Pitseum, cùm uterq; ajat, à Nigello Speculum suum dedicatũ fuisse Episcopo Elienſi; id qvod conciliari non potest cum eo, qvod iidem enunciant, Saresberiensem fuisse in Speculum istud cõmentatum: siqvidem constat, obiisse Saresberiensem septem annis antè, qvàm Gvilhelmo illa dignitas Episcopalis obtigerit.

§. 75. Eqvidem non abnuo, Baleum & Pitseum, qvanqvam diligentiæ magnæ, nec minoris circumspectionis viros, labi tamen alicubi [ut sumus homines] ita potuisse, ut ipsi contradicerent sibi; qvod & suprà *h*) nobis observatum, ubi carmen idem ab illis jam Nigello, jam Saresberiensi attributum ostendimus. Verùm nobis qvoqve adhibenda ea est cautio, ut si è duobus, qvæ simul vera esse non possunt, negandum sit alterum, illud abjiciamus, qvod hoc re-

Digitized by Google

pudium meretur. Atqve hîc dicam, in eo potiùs deceptos fuisse ambos, qvod *de dedicatione ad Episcopum* scribunt, qvàm qvod *de commentario Saresberiensis*.

h) §. 54.

§. 76. Enimverò si ipsa Nigelli ad Gvilhelmum verba inspicimus, patet, missum hoc opus ab eo fuisse non Episcopo alicui, [certè nulla uspiam Episcopi mentio,] sed cuicunq; vel minimo è fratribus suis Benedictinis *i*), eiq; familiaritate intimâ sibi conjunctissimo. Vocat enim eum, in poëmate qvidem ipso *dimidium animæ suæ k*), in epistolâ verò, qvæ præmittitur qvidem poëmati *l*), posterior eo tamen scripta est *m*), *fratrem n*), *cui abscondita hæc denudanda duxerit o*). Qvare & eundem veteres librarii, qvi descripserunt hanc epistolam, non malè *amicum* ejus *secretum* appellaverunt *p*). Omninò Gvilhelmum hunc Nigellus velut parparem alloqvitur, alio longè stylo usurus, si monachus ad eum scripsisset Episcopum, qvi maximis præterea dignitatibus aliis pollebat *q*).

i) Benedictini Ordinis Monachum fuisse Nigellum, habes suprà §. 37. *k*) disticho totius operis secundo: *Hoc modicum novitatis opus tibi mitto legendum, Maxima pars animæ dimidiumq; meæ.* Cum qvo conferendum illud, qvod legitur p. 77. *Si tibi contingat fratrem reperire fidelem, Sit tibi pars animæ dimidiumq; tuæ.* *l*) qvâ de re suprà §. 66. *m*) prodent hoc verba jamjam describenda lit. seq. *Librum tibi nuper misi.* *n*) Hoc enim initium hujus epistolæ p. 1. ed. Wolferb. *Dilecto sibi in Christo, & semper diligendo fratri Gvilhelmo suus Vigellus, Salutem in summo & vero Salutari. Librum tibi nuper misi, cujus & titulus & textus legentibus & non intelligentibus videtur esse ridiculosus.* *o*) paulò pòst: *Unde, ut tibi in lucem prodeant, qvæ verborum velata sunt dissimulatione, pauca tibi breviter de absconditis meis dignum duxi denudare.* *p*) in Inscriptione hujus epistolæ, qvam habes suprà lit. m. ad §. 66. *q*) Rogero de Hoveden Annal. part. poster. sub Richardo I. f. 680. (edit. Francof. A. 1601. cum aliis rerum Angl. scriptor.) *Willielmus hic Elienſis Episcopus est Apostolicæ sedis Legatus, Domini Regis Cancellarius, & totius Angliæ Justitiarius*

Digitized by Google

rius. Vide & Franc. Godwin. de Præsulib. Angliæ p. 307. 308. è qvo simul disces, Gulielmum hunc à Richardo Angliæ Rege, cùm is ad Terræ sanctæ expugnationem proficisceretur, *Regni* se absente *Protectorem* fuisse constitutum.

§. 77. Qvid verò, si statuamus, inscriptum qvidem, fuisse Speculum illud Gvilhelmo huic de Longo-Campo, nondum tamen Episcopo? Eqvidem cessabit ita contradictio, qvæ aliàs utriqve Scriptori Anglo exprobrari hîc poterat, modò verbis illorum dextra interpretatio accedat *r*); salva qvoqve sic nobis erunt, qvæ de tempore scripti à Nigello Speculi pronunciavimus *s*). Veruntamen in re incertâ non ausim temerè qvicqvam affirmare, vix flectendus, nisi docear priùs. Gvilhelmum hunc, anteqvàm fieret Episcopus, ejusdem cum Nigello fratrem Ordinis, & ipsi amore conjunctissimum fuisse.

r) ut nempe sensus sit, dedicatum fuisse speculum huic Gvilhelmo, Episcopo qvidem postea, tùm tamen nondum Episcopo. Atq; hîc tolerabilior qvoqve stilus Balei, qvi non nisi *præfatum Gvilhelmum* in calamo habet, qvàm Pitsei, qvi *præfatum Gvilhelmum, Episcopum Elienſem.* vid. §. seq. lit. t. u. *s*) §. 39.

§. 78. Dubito autem qvoqve, an duûm Anglorum sententia, maximè Pitsei, dextram, qvam dixi, interpretationem admittat. Ajunt illi, Gvilhelmum Episcopum, hominem qvippe *invidiosissimum* atq; *ambitiosissimum*, acriter fuisse, à Nigello in scriptis reprehensum; atq; hâc in re Baleus qvidem, tanqvam Lelandi verbis loqvens, non nisi ad librum Nigelli *de abusu rerum Ecclesiæ* respicit *t*); Pitseus verò, qvasi sua proferens, ad alia qvoq; Nigelli qvædam scripta id extendere videtur *u*). In qvibus si *Speculum* qvoq; *stultorum*, ut apparet *w*), in animo habuit, vix aliter interpretari Pitseum poterimus, qvàm qvòd senserit, dedicatum hoc Nigelli carmen fuisse Gvilhelmo, jam Episcopo: fertur enim hic cum Episcopatu aliisq; dignitatibus mores pristinis suis vir-

Digitized by Google

tutibus adeò adversos induisse *x*), ut *tyrannus* tandem *intolerabilis* fuerit habitus *y*).

t) Verba Balei: *In re theologicâ, inqvit* [Lelandus,] *eò tandem processit homo undiq; doctus, ut non modò suo Monachorum Collegio ornamento & utilitati esset, verùm etiam toti Brytannico orbi: præsertim cùm præter literas, qvas planè plures & non vulgares habebat, tantâ esset vitæ puritate, honestate ac sanctitate, ut non veritus sit scribere de* abusu rerum Ecclesiasticarum *vel ad ipsum Gvilhelmum Longeshampium, Eligensem Episcopum & regni Cancellarium, hominem omnium, qvos sol tunc videbat,* invidiosissimum. *At non eum solum acriter arguebat, sed & alios sui temporis pastores ac Rectores, qvòd essent sub Rom. Pontificis tyrannide, qvam autoritatem Petri & Pauli vocant, per illos admissi ad animarum curas pueri, scurræ, ganeones, cinædi, vel sacrarum scripturarum osores ad Christiani gregis perniciem.* *u*) Verba Pitsei: *Erat in reprehendendis vitiis & potissimùm in Ecclesiasticorum abusibus coarguendis vehemens: adeò ut ne Regni qvidem Cancellario Gvilhelmo de Longo Campo Episcopo Elienſi, homini* ambitiosissimo *pepercerit, qvò minùs ejus arrogantes mores & insolentissimum fastum* emissis in publicum scriptis *taxaverit. Qvamvis in omnibus istis hominem minimè defendendum existimaverim. Nam dubio procul in qvibusdam nimiâ loqvendi libertate abusus est: qvantumvis Joannes Saresburiensis super ejus* Speculo *scribens videatur eum tueri.* *w*) Tendunt huc aliqvo modo ultima verba literæ præcedentis, si cum anterioribus ea conferas. *x*) Franc. Godwin. de Præsul. Angl. p. 308. Gulielmus Longchamp, *qvi ante fortunam omnibus visus est magnâ non solùm prudentiâ, sed humilitate etiam præditus, ad hoc potentiæ & authoritatis evectus, multa protinus cœpit agere, non insciter solùm & imprudenter, sed arrogantèr etiam & protervè, atq; ita, ut simul imperitiam prodiderit, & rerum gerendarum insciticm, atq; animum tàm crudelitate & avaritiâ inqvinatum, qvàm superbiâ & elatione turgentem.* *y*) Gvillelm. Neubrigens. lib. IV. de reb. Angl. p. 437. [ed. Paris. A. 1610.] de hoc Elienſi Episcopo: *Deniq; ipsum illo tempore* [post Regis profectionem] *in Angliâ & plusqvàm Regem experti sunt laici, & plusquam summum Pontificem clerici: utrique verò* tyrannum intolerabilem. *Qvippe duplicis occasione potestatis duplicem indutus tyrannum, solis complicibus & cooperatoribus suis innoxius, cæteris indifferenter, non tantùm pecuniarum ambitu, verùm etiam dominandi voluptate erat infestus*, &c.

§ 79.

Digitized by Google

§. 79. Tametsi verò suspicatur Franciscus Godwinus z), in Gvilhelmum innocentem à monachis adversariis, historiarum scriptoribus plurimas effusas fuisse calumnias; multaq; illi crimina ingesta, qvæ aut à veritate fuerint aliena, aut rectè potuerint excusari: Balei tamen ac Pitsei verba produnt, ipsos iis credidisse, qvibus Episcopus hic malæ fuerit notæ, cujusq; adeò vitia perstringenda sibi sumpserit Nigellus.

z) p. 308. post verba, paulò antè nobis lit. x. citata. Qvem & p. 311. inspice.

§. 80. Qvicqvid interim sit de vitâ & moribus Episcopi Elienses, huic certè à nostro non inscriptum fuisse Brunellum sic puto fuisse confirmatum hactenus, ut adversa tàm Balei, qvàm Pitsei sententia, cùm neuter eam ullâ ratione munìat, pro merâ illorum suspicione haberi mereatur. Qvam illis inde natam dixerim: Legerant *Gvilhelmo Episcopo* alium fuisse librum unum alterumve a) à nostro dedicatum: cùm ergò *Gvilhelmi* nomen & in fronte Speculi compareret, ad eundem qvoq; *Episcopum* id esse trahendum sunt arbitrati.

a) hoc memoravimus in fine §. 71.

§. 81. Sed omittamus tandem Elienſem illum: redeamus ad ipsum Nigellum, ejusq; poëma. Scriptum id esse *versu non usqveqvaq; contemnendo* pronunciat Flacius, cum temperamento laudans, remq; ipsam suo, non temporum sive priscorum, sive recentium, pretio ingenuè æstimans. Nam alioqvi, contemplatione barbari, qvo ipse vixit, seculi Nigellum possis cum Lelando b) vocare Poëtam elegantissimum; vicissim rudem satis atq; impolitum, si cum ævi nostri luminibus compares.

b) suprà §. 48.

§. 82. Animadvertit etiam Wolserbytanus editor, Brunelli hunc scriptorem vix effugere posse limam ab edecumatæ,

Digitized by Google

matæ, qvin & medioxumæ doctrinæ viris *c*), ob ſolœciſmos grammaticos *d*), & violatas multis in locis regulas proſodicas *e*), qvod tamen ipſe ſeculi barbariei in tantum excuſandæ accenſeri cupit *f*).

c) præfat. ad Lector. p. 1. *d*) ibid. p. 3. *e*) ibid. pag. 10. 11. *f*) iterum pag. 3.

§. 83. Maximè hoc noſtro conſvetum, ut breves ſyllabas ob cæſuram producat in penthemimeri: qvod qvidem nec probatis autoribus inſolitum, ſed ipſe nimiùm freqventat hæc exempla *g*). Tale illud: *In promptu cauſa, qvoniam peccavimus omnes:* qvomodo non dubitem ipſum autorem ſcripſiſſe; neq; aliter eſt in Codice Paulino *h*).

g) In eâdem paginâ, qvæ editionis Wolferbytanæ eſt 115. qvinq; reperies huju s generis exempla. Qvæ ſunt: (1.) *Non qvem* fortuna, *ſed qvem natura beavit.* (2.) *Intus & exterius eadem natura manebit.* (3.) *Prædia*, montana, *paſcua, prata, greges.* (4.) *Hic modus eſſe* ſolet *in Religione magiſter.* (5.) *Illud ubiq;* viget, *hæc ſunt ſpecialia multis.* *h*) in narratione Corvi de qvalitate Conſiliariorum.

§. 84. Qvòd autem editio Francofurtenſis pariter & Wolferbytana *i*), aſſentiente etiam domeſtico codice meo, hîc legunt: *In prompta cauſa eſt*, ab eo eſſe dixerim, qvi metro voluerit conſulere; non à Nigello noſtro *k*): nam is aliàs [qvod qvidem obſervaverim,] in hoc toto poëmate nuſpiam utitur eliſione. Qvod ipſum qvoq; morem ſapit ſeculi veteris illius, parùm qvidem alioqvi delicati, ſed neſcio qvo faſtidio abhorrentis ab eliſionibus, qvas vel nullas multi Poëtæ iſtorum temporum adhibent, vel admodùm raras certè.

i) illa p. 476. hæc p. 101. *k*) Idem judicandum de verſu: *Nil tàm difficile eſt*, &c. qvi infrà §. 96. lit. s. proferetur.

§. 85. Qvod ad argumentum totius poëmatis attinet, fabula id eſt, ſeu *apologus* de aſino qvodam, ſatis prolixus, utpote verſuum amplius ter mille octingentorum *l*): in qvo conſilium autoris fuit ridendo verum dicere *m*), in ſuiq; ſeculi

Digitized by Google

culi mores perversos *n*), Clericorum inprimis *o*), si sanari fortè jocando possent *p*), perstringere. Qvam ob causam & *scriptum Satyricum* appellant qvidam *q*): ipse autor *Speculum stultorum* indigitandum putavit *r*). Omninò dignum opus, qvod Casparis Dornavii Amphitheatro sapientiæ joco-seriæ adjiciatur *s*).

l) juxtà editionem Wolferbytanam: nam in Francofurtensi plures ducentis decesse fiximus §. 9. Eqvidem neutra numeros suos versibus adjicit, sed eos computare pæne res laboris fuit. *m*) juxtà illud Horatii Sat. I. v. 24. *ridentem dicere verum Qvid vetat?* Autor ipse libri & titulum & textum fatetur videri ridiculosum, suprà lit. n. ad §. 76. *n*) Wolferbytanus Editor p. 5 præfat. *Profectò — animum impenetrabilem vel invictum habuisse censendus est noster ille, — dum — in tanto monasticæ dignitatis fastigio, Clericis Romanensibus ubiq; eminentibus, veritus non est stylum stringere in perversos suorum hominum mores.* *o*) Magdeburg Cent. XII. Hist. Eccles. c. 10. f. 1678. *Vehementer Papam ejusq; spirituales insectatus est, & tractavit pro dignitate.* In hanc rem verba Balei & Pitsei dedimus lit. t. u. ad §. 78. Rem ipsam magis intelliges è §. 88. lit. f. *p*) Scopum hunc sibi fuisse Nigellus ipse profitetur in verbis ultimis epistolæ præfatoriæ p. 9. edit. Wolferb. *Unde Brunellus quædam de diversis ordinibus interserit jocosâ qvâdam insimulatione reprehendere, qvæ noverat asperâ increpatione neqvaqvam se posse extirpare. Multa enim genera membrorum* [sic & in Paulino est codice, sed fortè *morborum* legendum,] *sunt, qvæ utilius urgventum, qvàm cauterium,* [qvæ mox utrobiqve seqvuntur: *id est ferrum, qvo utuntur infirmi vel damnati,* non ipsius autoris esse putem, sed glossatoris alicujus,] *ad medelam admittunt.* *q*) Joh. Gebhardus, suprà lit. r. ad §. 60. Editor Wolferbytanus p. 4. præf. ad Lect. *r*) Nigellus ipse p. 1. epist. præfatoriæ: *Titulus igitur hujus libelli talis est, Speculum stultorum. Qvi igitur* [fortè ideò legendum aut τὸ *igitur* planè expungendum, cùm videatur irrepsisse è lineâ præcedente.] *sic appellatus est, ut insficientes alienâ insfectâ stultitiâ tanqvàm speculum eam habeant, qvo insfecto propriam corrigant.* &c. *s*) Wolferbytanus Editor p. 7. suæ præfat. ejusdem farinæ cum Speculo stultorum esse pronunciat *Virgilii culicem, Luciani musçam, Apulejiasinum, Erasmi Moriam*, & id genus alia. Talium Amphitheatro Dornaviano

Digitized by Google

naviano satis magna copia est. Sed supersunt non pauca, quæ adjici posse videantur: atque in his & Brunellus noster.

§. 85. Asino illi Poëta noster nomen imponit *Brunelli* *t*), quod ab hâc fabulæ totius personâ præcipuâ in ipsum poëma transiisse suprà *u*) jàm indicavimus. Sequitur autem hîc morem Scholasticorum. Nam hi solebant in Logicis, cùm individuum aliquod *equi* denotandum esset, jam *Brunelli* *w*) nomen, jam *Favelli* *x*) usurpare, à colore, ut videtur, depromptum *y*), [nobis hodiè magis placet in hoc argumento vox *Bucephali*, quem nemo nescit Alexandri Magni equum fuisse:] porrò eadem hæc duo *Brunelli* & *Favelli* vocabula, tanquam propria translata fuisse constat ab equis etiam ad *asinos* *z*). *Brunetta* quoq; vaccæ cujusdam in hoc apologo nomen est *a*).

t) Prima Brunelli expressa mentio p. 28. ubi Galenus asinum alloquitur: *Hæc*, Brunelle, *tibi modò, quæ nos vidimus ipsi Diximus.* *u*) §. 18. *w*) Johannes Major [Hadingtonensis Scotus] in Summulas Petri Hispani tit. de contradictoriis i. 6. [ed. Lugd. A. 1505.] *Sine hoc equo* (Brunello *demonstrato*) *potest fieri equitatio: ergò iste equus non requiritur ad equitandum.* *x*) Idem ibid. tit de appellatione rationis ii. 1. *Nullum equum tibi debeo, nec equum regis tibi debeo, nec* Favellum *tibi debeo.* *y*) *Brunus pro fusco, ut Germanis* braun / *Belgis* bruyn / *Italis Bruno*, Vosſ. II. de vit. serm. 3. p. 184. A *Bruno* ergò deminutivum est *Brunellus*, quod Germani diceremus Bräunichen. Similem in modum à *flavo* derives *flavellum*, qui euphoniæ gratiâ videtur transiisse in *Favellum*. *z*) Iterum Joh. Major d. l. tit. de ascensu & descensu, gg. 3: *Posito, quòd sint duo homines, scil. Sortes* [Socrates] *& Plato, quorum quilibet habeat unum asinum præcisè, Sortes* Brunellum, *& Plato* Favellum, &c. Etiam albi passim apud hunc Majorem *Brunelli* nomen, tanquam asini proprium, occurrit. *a*) p. 87. *An nescis, vaccis quid contigit ecce duabus? Quas puer aspexi patris in æde mei. Altera* Brunetta *fuit, altera dicta* Bicornis.

§. 86. Multæ fabulam hanc de Brunello ambages dilatant. Summa figmenti brevissima hæc est. Asinus iste, cum

Digitized by Google

cùm caudam ſibi longiorem fieri optans, eâ de re Galenum conſuluiſſet, ſuâ ſpe adeò deluſus excidit, ut ab invadentibus moloſſis caudam etiam breviorem reportaret; inde Pariſios adiens, ac rudis reverſus, de novo qvodam inſtituendo monaſtico ordine cogitavit: verùm à ruſtico ſuo tandem deprehenſus injecto capiſtro domitus eſt, atq; auribus mutilatus. Huic narrationi alii paſſim miſcentur tùm apologi, tùm ſermones, iiq; jam ipſius Brunelli, jam aliorum.

§. 87. Interpretem fabuloſi carminis Autor ipſe agit in epiſtolâ præfatoriâ, non diſſimulans, ſub aſini perſonâ monachum à ſe depingi *b*). Verùm neceſſe non eſt, ut inde totius fabulæ, & aliarum, qvæ illi adſperguntur, epimythia huc transferamus; qvanqvam nec omnia ipſe ibi referat, Lectori potiùs accuratum ſenſuum occultorum ſcrutinium relinqvens in operis totius epilogo *c*).

b) p. 2. 3. *Aſinus iſte monachus eſt, — qvi non contentus conditione ſuâ — caudam veterem vult ſibi avelli, — qværens omnibus modis, ut nova cauda & prolixa ſibi poſſit accreſcere, ſcil. ut Prioratum vel Abbatiam poſſit ſibi apprehendere.* — *c*) p. 129. ed. Wolferb. *Non qvod verba ſonant, ſed qvicqvid myſticè ſignant, Scruteris Lector, cautè qvid ipſa velint.* Sic & Paulinus Codex. Alius Pentameter eſt in Francofurtenſi: *Diſcretus Lector denotet* [Codex domeſticus noſter, *denotat*] *illa ſibi.* Sed lectionum hæc varietas parvi eſt ponderis.

§. 88. Neq; tamen omnia fabularum involucris ita obtegit, ut Oedipo ubiq, ſit opus. Qvin potiùs Brunellum introducit ævi ſui vitia manifeſtiſſimè alicubi demudantem ac prolixiſſimè. Qvanqvam autem Laicorum *d*) hîc non obliviſcitur: tamen in Clericos maximè *e*) invehitur, eosq; ordinum omnium ac dignitatum, ita, ut ne qvidem Romanæ Curiæ parcat *f*).

d) Lemma *de Regibus* habes p. 88. *de Laicis* p. 90. *e*) tetigi hoc jam §. 85. o. *f*) Lemma *de diverſis Religionibus* extat p. 73. de *Hoſpitala-*

Digitized by Google

his, Monachis nigris, albis p. 74. 75. de *ordine Grandimontensium, Carthusiensium* p. 77. 78. de *nigris Canonicis* &c. p. 79. seqq. [*Curiæ Romanæ* mentio licet absqve lemmate peculiari p. 87.] De *Pontificibus & Pastoribus malis* &c. p. 92. seqq.

§. 89. Non dubium, qvin hoc nomine invisus esse cœperit Pontificiæ Tyrannidis ac Civitatis Deo adversæ asseclis. Vicissim causam ejus defendit pari zelo ardens *Joannes Saresberiensis g*), qvi & Pitseo *h*) videtur super Nigelli Speculum scribens *i*) eum tueri. Eqvidem hic Saresberiensis Commentarius ad nostras manus haud pervenit: sed vel ex ejusdem Policratico sæpius edito satis constat, ipsum qvoq; duriter insectatum esse scelera Papæ & totius Cleri: qvam ob causam & dignum eum, qvem Catalogo Testium Veritatis insereret, habuit Flacius *k*), è qvo simul disces, eum scripsisse Objurgatorium Cleri *l*).

g) hujus viri mentionem jam supra fecimus § 52. seqq. *h*) suprà lit. u. ad § 78. *i*) qvâ de re § 73. seqq. *k*) p. 645. ed. Basil. A. 1556. Vid. & Wolf. l. memorab. f. 358. seqq. *l*) ita vocat Flacius d. l. Objurgatorium *Clericorum* Wolfius l. c. f. 356. *Objurgationem* Cleri Pitseus p. 219.

§. 90. Est verò Nigelli qvoq; nostri laus hæc præcipua, qvòd meruit accenseri Testibus Veritatis, qvi ante B. Lutherum reclamarunt Papæ. Qvod encomium ipsi à Flacio, licet tùm qvidem temporis nomen ejus ignorante *m*), inchoatum alii qvoq;, Johannes Wolfius *n*), Johannes à Münster *o*), Henricus Oræus *p*), Erycus Rhonæus *q*), [qvanqvam hi duo, Oræus & Rhonæus, reverà non duo sunt, sed unus *r*),] continuandum putavére.

m) regredere ad §. 4. *n*) l. Memorab. f. 425. Et verò in his Memorabilium libris tùm alia plurima ad Ecclesiæ statum pertinentia, tum inprimis Testes Veritatis Flacio memoratos, juxta temporum seriem digeri res ipsa loqvitur. *o*) suprà §. 43. *p*) Nomenclat. præcip. Eccles. Doctor. p. 106. his verbis: *Nigellus Wirecker/ Monachus Cantuariensis & test. Verit. 1196.* [scil. floruit.] *q*) Tomo I. Idear.

Digitized by Google

Idear. reformandi Antichrist. Part. II. Sect. III. [qvæ est de testibus adversùs Antichristum] cap. 17. p. 378. 379. *r*) Edidit *Henricus Oræus* Alsenheimensis Wedderavus præter *Nomenclatorem* modò citatum, qvi Hanoviæ A. 1619. in 12. vulgatus est, seqventibus annis tribus 1620. 1621. 1622. alios tres libros impressos Francofurti, latinum unum in 4to. germanicos duos in 8vo. Primi titulus est: *Æreoplastes Theosophicus, sive Eicones Mysticæ.* Secundi: Kurtze Entwerffung des Geistlichen Saltzes und Saltzwercks. Tertii: Gedancken und Trost aller nothleidenden Hertzen. In secundo se vocat Diener am Wort GOttes zu Neuenheim/ [qvâ in urbe & dedicavit Nomenclatorem:] in tertio *Pastorem Neopatrensem.* Sunt ergò ipsi synonyma *Neopatra*, & Neuenheim / germanicam vocem videlicet permutanti cum græcâ. Jam cùm Idea reformandi Antichristi mox anno seq. 1623. prodierit sub nomine *Eryci Rhonæi*, [qvod per anagramma est *Henrycus Oræi*,] *Neopatrens. P. Evangelici*, dubitare vix licet, qvin idem sit *Rhonæus* cum *Oræo.* Prodiit etiam A. 1620. in 4to. Reformirspiegel des weltlichen Bapst/ und weltlichen Antichrist zu Rom / durch *Johannem de Hyperiis*: cui libro duabus partibus distincto magna intercedit cognatio cum primo secundoqve Tomo Ideæ reformandi Antichristi, qvæ sub *Rhonæi* nomine prodiit. Unde admodùm verosimile mihi, *Johannem* qvoq; *de Hyperiis* eundem esse cum *Oræo*: cui ut nomen suum vice non simplici dissimularet, persvaserunt fortasse turbulenta illa Germaniæ tempora. Cæterùm de Ideâ reformandi Antichristi suprà qvoqve monitum aliqvid lit. r. ad §. 43.

§. 91. Qvoniam verò nemo, qvæ ad rem præsentem faciunt, luculentiùs executus est Flacio, placet hujus verba describere, & scholiis adjectis, ubi opus fuerit, illustrare. Nam qvæ Flacianis immiscuit Goulartius, ea omnia, [atq; in his & illud de Monachis: *Qui duce Bernardo* &c. qvod è Baleo depromptum Wolfius qvoq; usurpavit,] satis superqꝫ jam suprà *s*) discussimus.

s) à §. 19. usqve ad 22.

§. 92. Flacius ergò cùm exemplar Brunelli seu Speculi stultorum vetustius 100. annis visum sibi memorasset *t*), ita pergit: *In eo scripto acriter taxantur spirituales papistici, id est, sigil-*

Digitized by Google

latim singuli ordines u). De monachis inter alia ait, tot esse ordines, qvot jam mundus vix numerare qveat w).

t) qvâ de re suprà §. 45. u) Sufficere hîc possunt, qvæ lit. f. ad §. 88. notavimus. w) p. 445. ed. Francof. *Nam tot sunt falsi, tot ficti, totq; ferales Qvod jam mundus eos vix numerare qveat.* Verùm hoc distichon non de Ordinum, sed falsorum in Ordinibus fratrum multitudine loqvitur. An ergò aliud in Brunello qværendum nobis distichon? An corrigendus Flacius? legendumq́ve: *tot esse falsos fratres.*

§. 93. *De Canonicis inqvit x)*: Hi sunt, qvi faciunt, qvicqvid petulantia carnis Imperat, *&c. Et paulò pòst y)*: Totus in errores mundus pereuntib9 istis Ducitur *&c.* Hi sunt z), justitiam qvi prostituére pudicam, Falsa loqvi lingvas qvi docuére suas.

x) p. 81. edit. Wolferbyt. y) ibid. disticho proximè seqvente.

z) leguntur hæc p. seq. 82.

§. 94. *Pastores dicit factos esse lupos a). Præcipuè tamen objicit toti isti pseudo spiritualium b) turbæ sceleratam turpemq́ vitam c), & neglectionem Verbi Dei d), ac curæ salutis animarum e).*

a) p. 92. sub titulo, de Pontificibus & Pastoribus malis: *Qvi qvamvis veniunt ovium sub veste, rapaces Sangvinis hos avidos noveris esse lupos.* Plura hujus sententiæ reperies in seqventibus ejusdem paginæ distichis. b) Respexisse Flacius videtur ad distichon proximè præcedens, cujus hic hexameter: *Advenient multi* pseudes *falsiq́; prophetæ.* Operæ pretium est, monere hâc occasione aliqvid de vocabulo *pseudes.* Eqvidem ita legitur & in codice Paulino, ac propius hoc accedit ad græcum ψευδεῖς. Verùm hîc præfero lectionem codicis domestici, & editionis Francofurtensis p. 465. ubi pro *pseudes* est *pseudo*; neq; dubitem, ita scripsisse Nigellum. Etenim scriptoribus ævi barbari vox *pseudo* (qvâ denotabant qvemlibet fraudulentum, qvi vel nomen sine re gereret, vel officio suo abuteretur,) indeclinabilis erat & omnis generis: qvalem & in Vocabulario suo profitetur Herrmannus Torrentinus. Ac talis ea vox in plurali qvoqve habebatur. Wilhelm. de S. Amore Serm. II. [apud Wissenburg. in Antilogiâ Papæ p. 204.] *Pseudo ex occasione* [respicit ibi ad locum Philipp. I. v. 18.] *evangelizant, qværentes commoda vel pecuniaria, vel honorum, vel laudis humanæ.* Corrige hinc

Digitized by Google

hinc illud Joannis Saresberiensis lib. II. de nugis Curial. c. ult. p. 124. [ed. Lugd. a. 1595.] *Nec ad rem adtinet, sii qvi* pseudogratiam *vendunt:* & distinctim lege, *pseudo gratiam:* malè enim duæ voces hìc in unam coaluere. Medicos ibi, qvi artem suam non nisi lucri gratiâ exerceant, [planè ut Nigellus noster pastores Ecclesiæ mercenarios,] vocat *pseudo*. Qvi barbaræ locutionis minùs periti fuerunt, è duabus vocibus unam fecerunt, *pseudogratiam*, eamqve hybridam, qvalis & *pseudomagister* (de qvâ Vossius p. 561. de vit. serm.) atqve id genus barbaris haud insolitæ plures. Contrario errore monachi, cùm in Ecclesiasticis Scriptoribus *pseudopropheta*, *pseudopropheæ*, *pseudoprophetas* &c. legerent, putaverunt siogula horum esse distincta duo vocabula, qvorum prius adeò sit indeclinabile. Confer qvæ in Dissertat. de plag. literar. §. 45. annotavi. *c*) p. 93. *Pastorum vitam si discutiamus ad unguem, Plurima qvæ faciunt, plena ruboris erunt.* *d*) pag. 94. *Præsul amat marcam plus qvàm distingvere Marcum, Plus & amat lucrum, qvàm facit ipse Lucam.* *e*) ibid. *Qvaliter atq; qvibus curam credunt animarum, Qvod magis est aliis omnibus, esse* (Francof. p. 468. *ecce*) *patet.*

§. 95. *De Pontifice & Româ inqvit f*): Si caput à capio, vel dixeris à capiendo, Tunc est ipsa caput, omnia namq; capit. Sic *g*) declinando capio, capis, ad capiendum Retia laxavit, retia larga *h*) nimis. *Et paulò pòst Romæ crudelitatem piorumq; persecutionem his verbis objicit i*): Qvondam larga fuit *k*), proprii nec avara cruoris *l*): Nunc vice conversâ sitiens *m*) sitis *n*), atq; cruorem Fundat ut alterius, ebibit ira suum *o*). *Et paulò pòst inqvit, eam suppeditare aliis* Pocula pro melle felle referta suo *p*)

f) p. 87. *g*) ita legendum & apud Flacium pro *Si*. *h*) ita Flacius, cum qvo facit & Francofurtensis editio Nigelli p. 460. in Wolferbytanâ est *longa*. *i*) p. 87. *k*) sic. Francof. p. 460. Wolferbytana, *sui*. *l*) deest hìc apud Flacium pentameter: *Fundere consvevit fetq; suumq; suis*. *m*) VVolferb. *faciens*. *n*) *sitit*, utraqve Nigelli editio. *o*) Francofurt. *Fundit, ut alterius ebibat illa suum*. VVolferbytana: *Fundit & alterius, & bibit ipsa suum*. *p*) Sic & Francofurtensis, nisi qvod non, *pro melle*, sed *cùm melle*, habet. VVolferbytana: *Sub mellis specie pocula felle luat*.

Digitized by Google

§. 96. *Objicit ei & avaritiam, & clavium abusum, inquiens q)*: Bursa referta reos solvit, peccata relaxat, Qvæ non peccantes *r)* evacuata ligat. Nil tam difficile est, nil tàm pravum nec amarum *s)*, Qvod non emendet bursa referta benè *t)*. Hoc *u)* facit, ut licitè faciat, qvodcunq; libebit, Reddit & illicitum, qvod libet *vv)*, arte pari.

q) p. 83. ed. VVolferb. [p. 460. Francof.] *r)* Francof. *Qvæ verò peccantes.* *s)* Francof. & VVolferb. *Nil tàm difficile, nil tàm grave, nil ita pravum.* Respice hîc & ad lit k. sub §. 84. *t)* Francof. *Qvod nemen emendat bursa referta plenè.* Minus probè. *u)* F. & VV. *Hæc:* & mox, *fiat*, pro, faciat. *vv)* F. & VV. *licet.*

§. 97. *Dicit qvoqve Romam esse fontem & caput vitiorum x), ac inde omne malum ad Christianos fluere. Negat se omnia Romæ scelera describere posse, etiamsi Nestoris annos viveret y). Denique concludit duobus versibus z) totum cleri corpus, & præcipuè Romanam Curiam graphicè depingit:* A summo capitis pariter pedis usq; deorsum Ad plantam sanum nil supereſſe reor.

x) ead. p. 88. ed. VVolferb. *Sic sapit ex fonte, qvamvis procul inde remotus, Rivus.* Et paulò pòst: *Virtutum qvondam decus & decor, in vitiorum Est conversa caput, qvæ caput orbis erat.* *y)* ibid distícho seqvent. *Non mihi sufficiens longævi Nestoris ætas, Singula si memorem, qvæ memoranda forent.* Est autem distichon hoc in VVolferbytanâ, perinde ut in Codice Paulino, capitis illius ultimum. Non item in codice domestico meo, ubi alia seqvuntur duo: qvorum ultimo: *A summo capitis* &c. in Flaciano qvoqve manuscripto caput illud finitum fuisse, textus præsens loqvitur. Ambo illa distícha & in Francofurtensi editione reperio p. 461. qvanqvam ea caput ibi non claudunt: qvod eam ob causam factum, qvia editio ista caput hoc cum seqvente [de Regibus,] conflat in unum. *z)* Deesse hoc distichon cum proximè præcedente, editioni VVolferbytanæ, non item Francofurtensi, modò dictum.

§. 98. *Nec solùm sceleratam turpemq; Papæ aliorumq; omnium spiritualium vitam vituperat, & abusum clavium, & officii neglectionem: sed etiam damnat prohibitionem esûs carnium, inquiens a): carnem non esse*

Digitized by Google

esse prophaniorem pisis aut piscibus, sed abusum ejus aliorumq; ciborum malum prophanumq; esse. Conjugium quoq; Sacerdotum defendit, dicens b), conjugium & à Deo in paradiso institutum esse, & inde genus humanum propagari, eoq; rem piam ac licitam esse. Omninò quisquis ejus scripti author fuit, plurimùm ab Antichristi ejusq; spiritualium hypocrisi & impietate dissensit.

a) p. 79. *Quid caro peccavit plus quàm pisa, fala*; [Francof. p. 449. *faba, pisa*] *legumen?* *b*) p. 85. *Hic fuit ordo prior, & conditus in paradiso.*

§. 99. Hæc ergò ea sunt, qvibus Testem Veritatis fuisse nostrum, probavit Flacius è Speculo ipsius. Non dubium, qvin ex aliis Nigelli scriptis, cumprimis illo *super vitiis Curatorum*, & altero *de abusu rerum Ecclesiæ* plura in hanc rem congeri potuerint *c*). Sed ea neq; Flacio neq; nobis inspicere licuit. Neq; jam occurrit ulterius qvicqvam in hujus Viri historiâ, qvam haud paulò prolixiorem, qvàm augurabamur initiò, fumus enixi.

c) Respice ad § 49. item 78. lit. t. u.

§. 100. Id unum supereſt, ut gratias agamus DEO, cujus immensæ benignitati debemus, qvòd feliciores Nigellò, non ipsi hodiè in regionibus nostris Tyrannidem Curiæ Romanæ, aut satellitum ejus flagitia experimur, sed religionis veræ sinceritate, statúsq; publici tranqvillitate fruimur. Hoc donum ille perpetuum esse nobis jubeat: Cui sit honor, laus, gloria seculis nunqvam terminandis!

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIA.

1. Modus disputandi per interrogationes non est simpliciter improbandus.
2. Plantis non inest anima sensitiva.
3. Est aliqvid intellectu, qvod prius non fuit in sensu.
4. Sententia Aristotelis de mediocritate virtutum rectè retinetur in Philosophiâ morali.
5. Bellum non rectè dividitur in defensivum, reparativum & punitivum: Species enim hæc ultima nulla esse debet.
6. Judæi in Republicâ Christianâ certo modo sunt tolerandi.
7. Qvæ de Amazonibus narrantur, propiora fabulæ sunt, qvàm veræ historiæ.

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google